cietatis utilitas ab hominibus exigunt. In hoc sese coarctant ut sint imitatores Socratis, & Catonis; & hujusmodi fideles superbi eo quod similes sunt Ethnicis, obliviscuntur Deum esse prototypum suum, & aliud quodvis exemplar imitari sese de gradu dejiciunt, atque dedecorant. *Sermo primus Academiæ anno* 1695.

Quam diversæ ac erroneæ sunt sententiæ ubi de Religione agitur.

Complures sunt in orbe Christiano, qui gloriantes, se penitus adhærere veritatibus fidei, minus morum disciplinam sectantur, & adeo fidenter in hoc ambulant tramite, ac si in certissima salutis via versarentur. Sibi fingunt Deum nobis indulgentiorem pro infirmitatibus cordis, quam pro erroribus mentis. Theoretica dogmata, quæ illis crucem non figunt, videntur ipsis magis necessaria, quam virtutes, quæ vel minimum ipsis negotium facessunt, & nonnunquam etiam sibi persuadent licere sibi hoc dogmata non sine aliarum virtutum detrimento sustinere. Gestium sibi vias ab aliis semotas proponere, & despicientes eas, quæ ad cœsam vulgares animas possunt adducere, sibi quamdam fingunt Christianismi speciem ad arbitrium, quæ non sit cum aliis communis. Non acquiescentes ideis perfectionis, quas ipse Spiritus Sanctus nobis revelat ad alius vitæ genius adspirant, & sæpe commenititis officiis, quæ ipsi sibi proposuerunt, sacrificant ea, quæ Deus illis imponit, & quæ evitari non possunt. Alii vero nimis confidunt in communi via, quæ nonnunquam sua habet pericula. Tandem abusus, & laxitates jam probati videntur, cum in consuetudinem abierunt. *Ex eodem Sermone*.

Curiositas nostra, ubi de fide agitur, facit, ut omnes sententiæ deis nostris opponitæ meinmeque vacuæ sint suspicione.

Si nobismet persuademus satis fedulam æquitatem sufficere ad nosmet coram Deo justificandos, & nobis impune licere in dubium vocare, vel nullo in discrimine habere veritates Ecclesiæ revelatas; decisiones hujus causæ non cordis, sed mentis affectiones fuere. Hujus insana curiositas illam congecit in perquisitiones, quibus par non erat. Hujus præsumptio illi in suspicionem accessit, quod non assequatur. Hujus naturalis superbia illam avertit ab iis omnibus, quæ supra illam sita sunt. Ante contra non sine magna veritatibus fidei submissione speramus nos inexcusabilia, & fere innoxia efficere posse morum flagitia, nonne palam constat judicium hoc proficisci ex corde corrupto & fallacibus voluptatum illecebris capto? Quam indignus fidei usus? Hanc plurimi sequuntur non sine ea cura, qua debent; sed ut virtutis hujus pallio sexcentas contegant infirmitates. In fide inveniuntur abusus usque in singulari hominum vita, quæ ignotam reliquis fidelibus perfectionem promittit. Hæc placet vanitati nostræ, quæ semper nitescere quærit, in ipsis etiam austeritatibus, & mortificationibus. Cum vero cæce confidimus in abusibus, communibusque laxitatibus; nobis eas mundus inspirat, ac mollities nostra confirmat. *Ex eodem Sermone*.

Duci debemus ut mine veritatis, ut ad eamdem veritatem ducamur.

Si error justum efficere posset nocentem, vel hujus injustitiam excusare: error quodammodo esset veritate ipsa optabilior; neque admodum laborandum esset ne quis erraret, si per errorem pervenire posset ad eumdem terminum, quo perveniunt, qui veritatem sequuntur. Verum non ita; ad veritatem via veritas est: alia quælibet in abyssum deducit; quilibet alius dux vel cæcus est, vel infidelis. Cum Dei Filius se viam, & veritatem esse profiteatur; qui aliud iter ingreditur, non fallitur ipsum, verum etiam se in errore suo inexcusabilem reddit. Etenim post tale Oraculum, seu minime velis veritatem cognoscere, seu re ipsa illam minime cognoscas; æque nocens es, sive illam astu eludas, seu per adfectatam ignorantiam ab illa recedas. *Sermo Quartus Accademiæ anni* 1695.

Ad errorem vitandum, vel inde e-

Quoniam adeo difficile est ex errore emergere, & adeo terribile in eodem versari: quid faciendum est, ut illum evitemus? Tibi tuæ prudentiæ fidendum non est, Sapiens respondet: *Prudentiæ tuæ ne innitaris*, & noli esse tibi dux, & consiliator. Cavendum est, ne incidas in novitates periculosas, neque in recentes modos saluti suæ consulendi. A Deo petendus est spiritus intellectus & sapientiæ ad veritatem cognoscendam; spiritus mansuetudinis, ad illam audiendam, spiritus fortitudinis ad sequendam, spiritus zeli ad efficiendum ut iis regnet in locis, unde in exilium acta est. Ita non solum cognoscemus veritatem, verum etiam cum ardore sequemur illam. Ita nobis incedentibus in lumine fidei, tenebræ erroris nullam poterunt projicere umbram in vias nostras, & ne latum quidem unguem nos amovere ab eo tramite, quem Patres nostri secuti sunt perventuri ad beatam requiem, quæ est sedes credentium, & ubi nihil nobis erit metuendum a salutis nostræ inimicis. *Sermo Idem*.

mergendum plures requiruntur qualitates. Prov. 3.

Quo tempore fides fit obscura & lucida.

Hoc fidei proprium est, quod simul obscura sit, & lucida, quod nos cœcat, ut illuminet, & quod nobis detegit Dei Filium sub humiliationum ejus integumento, aut sub fulgore suorum magnalium absconditum. Deducamus has magni momenti veritates, & faciamus Fidei panegyricum, ut illum fidelis Apostoli nostri absolvamus. Fides nos excæcat, cogit enim, ut nostro abrenuntiemus intellectui, ut hunc sacrificemus Deo, & credamus veritates, quas intelligere non possumus: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei*. Sed eodem tempore, quo nos excæcat, nos etiam illuminat; & cum oculos nobis claudit, simul etiam eos nobis aperit; adfert enim divinum lumen animabus nostris, efficitque, ut cognoscamus veritates, quas nos credere jubet, & lumen esse videtur premium suæ obscuritatis. *Fides est oculus cordis; videt, qui credit, & credendo intelligit. Ex Panegyricis Sanctorum Tomo* 1.

Fides non consistit in sola Theoria sed in praxi. Opus est hanc producere fructus.

Fides nostra non est Theoretica tantum, ita ut in mente subsistat: rebus in omnibus nos ad agendum impellit propter ea, quæ nobis ostendit; Deum quidem ut illum colamus, diligamus, timeamus; virtutes, ut illas exerceamus, cupiditates, ut illas coerceamus. Ad id illa nos impellit. Origo est fœcunda, & perennis sanctarum actionum, neque enim nisi ex operibus cognosci potest quænam sit fides singulorum. *Fides*, S. Augustinus ait, *est facere quod dicis*. Hæc eadem cogitatio impulit Hæreticos, ut afferrent dogmata prorsus opposita fidei, aptissima ad cupiditates fovendas, & vitia probanda, persuasum quippe illis erat se non posse mentes seducere, nisi prius voluntatem corrupissent. Illorum etiam hæreticorum, qui severitatem crepant, principia ad licentiam tendunt. Fieri igitur nequit, quod qui, sub colore non incidendi in nimis simplicem, atque imprudentem severitatem, quasdam execrentur veritates, quæ amori proprio minime velificantur. Fieri, inquam, nequit, quod homines hujusmodi habeant veram fidem, quæ est Christianarum virtutum principium; fieri nequit, ut habeant aliquid probitatis. *P. la Pesse Tomo* 2.

Qui credit nullum subit periculum; qui secus, periculum adit æternæ infelicitatis.

Qui Christianam credit Religionem, nullum subit periculum, vel quod subit, est amittendi fragiles voluptates, leves oblectatiunculas, non diu mansuras, quas melior ipsa mundi pars execratur; quæ sexcentis mixtæ sunt sollicitudinibus, quas semper graves excipiunt molestiæ, & quæ sæpe sunt plurimorum malorum origo. E contra vero qui Christianam Religionem non credit longe gravissimum periculum subit, miseræ videlicet æternitatis, malorumque ineffabilium, ac omni fine carentium. Licet impius validissimis argumentis actus impietati suæ vellet adhærere; hæc una infelicissimæ æternitatis cogitatio deterrere illum posset, si quæ boni sensus, atque rationis scintilla in eo superesset. *Recens Auctor*.

F I L I I.

Filiorum erga Parentes Officia.

M O N I T U M.

Hoc in loco agimus tantum de Filiorum erga parentes officiis, quin de Parentum officiis erga filios verba faciamus, de quibus alibi recurret sermo. Argumentum hoc non adeo angustiis finibus continetur, ut pro utili, atque ad eruditandum accommodata Concione satis uberem rerum copiam nequeat suppeditare. Mihi quoque stupor incessit, quod paucissimi Concionatores argumentum hoc pertractaverint, eumque Catechistis, Casuistis, Theologisque fere intactum reliquerint, qui de Dei Mandatis agunt, inter quæ hoc non postremum obtinet locum. Latius etiam differere licet de hujus præcepti justitia, de naturali lege, deque civili jure, quod hoc etiam, atque etiam commendat, ejusque infractoribus pœnas infligit, de jure patriæ potestatis, deque mal dictionibus, quas ipse Deus in filios rebelles, atque inobedientes ejaculatur. Ex his omnibus patebit via, qua hoc argumentum procul a Catechismi stylo, atque ordine possit pertractari.

Nemo unus ignorat præceptum hoc parentes honorandi, latius patere, quam primo statim intuitu videatur; extenditur enim ad Patres Spirituales, Confessarios, Directores, Præsules, & eos, qui dignitate aliqua sive Ecclesiastica, sive sæculari insigniti sunt; sed hæc nostri non sunt argumenti, vel ad alia referuntur, quæ alibi a nobis tractata fuerunt.

Cæterum quamvis hoc argumentum Concionatoribus æque, & Catechistis commune sit, non deesse tamen debet discrimen in ipsa ejus pertractandi ratione cum hoc temperamento, quod si Concionator sese ad singula demittere debet, quod facere tenetur Catechista, necessaria tamen præcepta non debet negligere, ut adfectata elevatione ordinem, stylumque Catechistæ relinquat.

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Variæ Concionum hujus Argumenti delineationes.

I. NE videar vobis, auditores, augere velle præcepta Dei, filiorum erga parentes officia multiplicans; quandoquidem mandatum illud, ubi de hac re sermo est, reverentiam dumtaxat parentibus filii præstare jubentur, cum dicat: *Honora Patrem tuum*. Illa, fateor equidem, sine ulla necessitate in Triplicatem, nisi a viris doctis didicissem, honorem, quem deferre jubentur liberi in hoc precepto tria continere; videlicet dilectionem, submissionem, & operam. 1. Honor amorem, & dilectionem complectitur; hic enim dilectionis actus honori adeo est essentialis, ut Theologi illum hujus originem, fontem, atque radicem esse testentur: *Dilectio radix est honoris*. Profecto amorem aufer a reverentia, nihil restat nisi inane officium, atque exterior urbanitas: itaut oporteat, honorem, quem parentibus suis adhibet filius ex amoris, & dilectionis principio procedere. 2. Honor etiam submissionem designat, non enim satis est a me eos coli, a quibus in hanc lucis usuram editus sum, opus est etiam, ut rebus in omnibus ab eorum nutu pendeam, atque me ipsum dicto illorum ita obtemperantem ostendam, ut nihil fine eorum jussu, aut facultate aggredi audeam. 3. Honor non solum amorem, & obedientiam efflagitat, sed præcipue operam ipsam deposcit; Deo enim satis non est simpliciter vel cor amans, vel mens submissa, manuum etiam effecta requirit; neque filius, qui parentes honorare jubetur, Dei gratiam mereri posset, nisi huic honori vera accederet in parentum necessitate subsidia. Hæc mea quidem sententia S. Bonaventura triplici verbo indigitavit, cum de hoc præcepto verba faciens, ac de honore, quem parentibus liberi adhibere tenentur, differens ait, hunc in tribus positum esse debere, in dilectione, reverentia, & obsequio: *Est honor dilectionis, est honor reverentiæ, est honor obsequii*. Libenter ejus sententiæ subscribo, sed ut faciliorem adstruam ideam, & quam omnes retinere possint, ad amorem id transfero, quod ille de honore, ac reverentia generatim adfert; & huic innixus fundamento ostendendum propono, eo in præcepto quod nobis hodie irrogatur de parentibus honorandis, triplex amoris genus requiri, reverentiæ, obedientiæ, & obsequii. Tria hæc officia, quæ facile palam fient argumentis deinceps afferendis, sermonis hujus partitionem constituent.

II. Constans est veritas, atque in morali disciplina generale principium est, parentibus erga eos, quos genuere, duplicem esse qualitatem, vel prærogativam, quæ a genitis duplex officium requirunt, & illis duo inevitabilia irrogant munera. Primum est cognationis vinculum, quo nullum arctius in natura; alterum dignitas, quam Deus, & natura patribus in liberos conferunt. Ex duplici hac autem qualitate consequitur, Deum, rationem, atque civilia jura, amorem, & reverentiam in filiis expetere erga eos, quibus hanc vitam debent. 1. Propter hanc cognationem illis filialem debent amorem, quo nullus major, & æquior, post illum, qui impenditur Creatori, creaturæ ulli est impendendus; quapropter mandatum hoc, quod irrogavit Deus, statim iis subnectitur officiis, quæ sibi præstari jubet, atque in altera tabella primum obtinet locum. 2. Propter hanc dignitatem, atque superiorem auctoritatem, filii parentibus integram debent submissionem, & obedientiam omnibus eorum imperiis, quæ non sint Dei mandatis opposita; obsequium omnibus eorum sententiis, & consiliis in iis, quæ ad negotia, fortunas, omnemque hujus vitæ rationem pertinent.

III. Filiorum erga parentes officia ad tria rediguntur. 1. Ad honorem, & reverentiam, quia erga illos Dei obtinent locum, & filii ab illis vitam, & quidquid habent receperunt. 2. Ad obedientiam, & submissionem, cum enim adolescentiæ consilio, ac regimine indigeat, undenam hoc melius recipere possunt, quam a genitoribus suis, qui maxima pollent experientia, qui summo illos amore prosequuntur, & quorum interest liberorum suorum utilitas? 3 Ad opem, subsidiumque quod laborantibus patribus filii præstare tenentur.

IV. Tres rationes ex Sacris depromptæ litteris nos parentes nostros colere, eos amare, eisque famulari cogunt.

Prima desumpta est ex D. Paulo *c. 6. Epist. ad Ephes.* Filii, *obedite parentibus vestris, hoc enim justum est*. Hoc justum esse, & ad hoc omnia justitiæ jura nos compellere, ostendendum est.

Secunda, quia Deus hoc jubet, atque explicite præcipit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino*, inquit idem Apostolus *ad Colossenses c.* 3. Ostendendum est, hoc præceptum a Deo irrogatum rationi esse conforme, & eidem maximæ esse curæ, quandoquidem tantam in hac etiam vita mercedem pollicetur illis, qui eidem parebunt, atque adeo terribiles minas intentat illis, qui ipsum perfringent.

Tertia, quia ad id nos cogit grati animi sensus, quod inferri debet ex illis Ecclesiastici verbis cap. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quemodo & illi tibi*. Ostendendum est, quemadmodum post Deum nemo est,

a quo

a quo majoribus, quam a parentibus, cumulati fuerimus beneficiis, neminem quoque esse, cui majorem animi grati sensum testari debeamus, iis officiis, quæ a nobis sunt iisdem præstanda.

V. Filii parentes suos, ut par est, reverebuntur, si tria præstiterint, quæ concionis partitionem possunt efficere.

1. Si illos amaverint vera, sinceraque charitate, quæ in eo posita est, ut de illis per quam optime mereantur, a quibus vitam acceperunt.

2. Si eorum defectus, atque infirmitates cum animi, tum corporis pertulerint.

3. Si eorum voluntatibus, atque imperiis obtemperaverint.

VI. De iisdem officiis, quæ liberi parentibus suis præstare tenentur, tres proponi possunt quæstiones pro concionis divisione, & argumento.

1. Utrum filius patri suo par pari unquam rependere possit, & ea, ad quæ tenetur, explere? Ethnici uno ore docent, cum vita, quam a parentibus accepimus, sit cæterorum bonorum fundamentum, ac beneficium, cui nullum æquari possit, nihil pro illis fieri posse; quod hoc debitum dissolvere valeat: ita etiam ut si aliquo casu, qui infrequentissimus est, filii parentum suorum vitam servarent, eosque tuerentur a morte, quam fine illorum ope certissimam erant subituri, nihil præstarent, quod non deberent. In morali autem Jesu Christi disciplina affirmare audeo, posse filios paria facere, & aliquid etiam magis pretiosum ipsa naturali vita, quam acceperunt, conferre; illis enim vitam animæ, æternamque salutem procurare possunt.

2. Utrum filii teneantur semper rebus in omnibus parentibus suis obtemperare, quod his verbis asserere videtur Apostolus: *Filii obedite parentibus per omnia*. Attamen certum est obtemperandum non esse in iis, quæ sunt contra Dei Legem, vel contra cultum illius, veluti cum parentes prohibere volunt filios suos ne Religiosum, vel Ecclesiasticum statum, ad quem Deus illos evocat, amplectantur &c. *Ad Col. 3.*

3. Utrum filii teneantur semper opem parentibus ferre, quod de jure naturæ esse videtur. Nequeunt tamen illis opitulari cum per vim, atque injustitiam aliquid consequi cupiunt; neque illis indigentibus illicita quapiam ratione gratificari. Quæstio est utrum liberi Religiosum statum relinquere debeant, ut patribus in extrema necessitate positis, subveniant, qua de re consulendi sunt Theologi.

VII. De obedientia, quam filii parentibus debent: Tria sunt, quæ parentes filiis præcipere possunt, juxta quorum discrimina filii obedientiam suam regere debent.

1. Quibusdam in rebus obtemperare debent, qualia sunt ea, quæ spirituale, ac temporale bonum suum, institutionem, Dei cultum, bonum exemplum, immo ea etiam quæ neque mala sunt, neque bona, & quæ ad rei domesticæ tantum regimen spectant.

2. In aliis numquam obedire debent, talia sunt quæ contra Dei honorem jubentur, vel quæ per se noxia sunt, puta ultio, injustitia, vis &c.

3. In aliis tandem obedire possunt, sed non semper tenentur, veluti in vitæ statu eligendo, in uxore ducenda &c.

VIII. Quomodo filii sese gerere debeant cum parentibus suis, ut satisfaciant præcepto, quo illos honorare jubentur a Deo.

1. Debet illis afferre solatium senectute, morbo, aliave quapiam necessitate laborantibus.

2. Debent pro virili eorum vitia, ac defectus contegere, quorum bona existimatione nihil sibi esse debet antiquius.

3. Ferre debent pravam eorum indolem, impatientiam, asperitatem, ac meminisse laborum, atque curarum, quas adolescentiæ suæ tempore patribus attulerunt.

IX. Hæ duæ veritates justam Concionis partitionem possunt efficere.

Prima; Permittet Deus, ut filii vestri vobiscum agant, quemadmodum a vobis cum patribus vestris actum fuerit.

Altera; Quemadmodum longa, & felix senecta merces est amoris, & reverentiæ filiorum erga patres; ita mors immatura, & præceps erit eorum inobedientiæ supplicium.

X. Hæc Sapientis verba nos docent, quomodo nostris persungi debeamus officiis cum parentibus: *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum*. *Eccli. 3.*

1. Tuam patri reverentiam testaberis *Opere*, cum nihil magni momenti aggredieris illo inconsulto: cum monitis ejus præbebis aurem bibulam, cumque cavebis, ne tua vivendi ratione, vel facto aliquo, quod illius iram, atque indignationem conflare tibi possit, illi afferas molestiam.

2. Tuam illi significabis observantiam *Sermone*, non solum numquam verborum asperitate ejus reverentiæ, quam debes, fines prætergrediens, neque eo oris habitu, qui contemptum redoleat, illi respondens; sed humilibus, atque ad obsequium compositis vocibus utens &c.

3. Hanc denique reverentiam, & honorem præstabis, si non ægre, neque gravate feres illius defectus, infirmitates, morosum ingenium &c. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structura amplificandas.

SAnctus Augustinus *contra Adimantum*, docet quonam in casu præceptum amandi parentes cedere debeat præcepto diligendi Deum. Hoc ipsum ostendit etiam *Conc. 1. in Psalm. 70.* Sancti Patres.

Idem, in Psalmum eumdem exemplo Jonadab ostendit, quomodo Deus Benedicat obedientiæ, quam filii parentibus præstat.

Idem, *vel quisquis est auctor Serm. 40. ad Fratres in Eremo*, adfert exemplum obedientiæ, quam Isaac præbuit Abrahæ.

Sanctus Ambrosius, *lib. 1. Offic. cap. 17.* hac in re Isaaci, & Joseph exemplum proponit.

Idem, *lib. 3. Offic. cap. 12. ad calcem*, celebrat exemplum filiæ Jephte, quod omnibus hac in re veterum præponit exemplis.

Idem, *lib. 5. Hexameron cap. 16.* exemplum adfert quorumdam brutorum, quibus natura inspirat amorem erga eos, a quibus vitam receperunt.

Idem, *lib. de benedict. Patriarch. c. 1.* filios hortatur, ut hoc erga Parentes munere defungantur.

Idem, *lib. 6. in cap. 8. Luc.* in hæc S. Matthæi verba: *Qui facit voluntatem Patris mei, hic mater, & frater, & soror est*. *Matth. 7.*

Sanctus Hieronymus, *Epist. 1. ad Heliodor.* docet ubinam Dei cultus paternæ auctoritati sit præferendus.

Idem, *lib. 3. in cap. 6. Epist. ad Ephes.* in ea Apostoli verba: *Filii obedite parentibus vestris in Domino*, ostendit obligationem, quam filii parentibus obtemperare tenentur, ac præstantiam hujus præcepti, quod nobis Deus irrogavit.

Origenes, *Homil. 8. in Genes. 22.* eloquentem habet descriptionem sacrificii, quod Abraham offerre voluit, & obedientiæ, quam Isaac ea in occasione præstitit.

Sanctus Cyrillus *lib. 7. de Adorat.* tractat de præcepto honorandi parentes.

Clemens Alexandrinus, *lib. 1. Stromat. cap. 1.* ostendit in quæstionem revocandum non esse, utrum parentes colendi sint.

Philo Judæus *l. de Decal.* contra filios invehitur, qui parentibus non obsequuntur.

Cassiodorus, *l. 2. Epist. 14.* similem habet invectivam contra filiorum impietatem.

P. Cordier, in Familia sancta parte prima prolixum habet tractatum de filiorum erga parentes amore. Ascetici aliique.

Auctor Ethicæ Christianæ *in Pater l. 1. sect. 3. art. 12.* fusius hoc argumentum persequitur.

Pædagogus Christianus, *c. 6. §. 3.* loquitur de filiorum peccatis erga parentes suos.

Gobinet in Adolescentiæ Institutione *part. 4. c. 4.* agit de filiorum amore, & obedientia erga genitores.

Pean in Schola Jesu c. 28.

Bellarminus in Opusculo de septem verbis Jesu Christi in Cruce c. 11.

Abbas Trappensis in Vitæ Monasticæ Officiis, tomo 2. c. 16. quæst. 13.

Liber cui titulus, Regimen Familiarum, a P. Sandret editus, tertia parte de filiorum erga parentes officiis.

P. Caussinus, l. 3. Aulæ sanctæ sect. 40.

Joly in operibus mixtis, sermone de educatione filiorum loquitur de officiis filiorum erga patres. Concionatores.

In moralibus sermonibus, non deest hujus argumenti sermo.

Pa-

Pater le Jeune, vulgo Pater cœcus appellatus, Sermone 55.

Idem, in tomo Sermonum de Præceptis Domini Serm. 49. & parte hujus Sermonis altera, loquitur de filiorum erga genitores officiis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Domin. tomo primo. Sermo pro Dominica in Octava Epiphaniæ totus est hujus argumenti.

Hortus pastorum, *Tract. 4. lect. 1. de quarto Præcepto: Honora Patrem, & Matrem.*

Mathias Faber, in Auctuario, *Domin. 17. post Pentecost. Tom. 4.*

Caignet in Pastorum Dominicali, Dominica prima post Epiphaniam.

Engelgrave in Lucæ Evangelium Dom. 1. post Epiphaniam.

Qui collectanea ediderunt.

Summa Prædicantium.
Berchorius.
Langius.
Labatha.
} Titulo *Filius*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

HOnora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram. Exod. 20.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Exod. 21.

Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem. Deut. 27.

Audi fili mi, disciplinam patris, & ne dimittas legem matris tuæ. Prov. 1.

Stultus irridet disciplinam patris sui. Prov. 15.

Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix. Prov. 19.

Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov. 20.

Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Prov. 28.

Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. Prov. 30.

Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi, dominis serviet his, qui se genuerunt. Eccli. 3.

Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Ibidem.

Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Ibid.

Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ibidem.

Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Ibidem.

Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Ibidem.

Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore. Ibidem.

In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo. Ibidem.

Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Ibidem, cap. 7.

Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Tobiæ 4.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Ad Ephes. 6.

Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Ad Colos. 3.

Mandatum primum in promissione, (nempe honorandi parentes.) Ad Ephes. 6.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

Severa veteris testamenti lex contra filios inobedientes. *Deut. 21.*

PRæter minas, quas in Scriptura intentat Deus filiis suorum officiorum erga parentes oblitis severissimam legem hanc in veteri Testamento Deus irrogaverat, quæ cum attentius sit considerandæ, illam de verbo ad verbum exscribere placuit: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat*. Severam hanc legem contra rebelles filios irrogaverat Deus; quam licet in Evangelio non confirmaverit, non debent illi minus Dei iram, ultionemque vereri, cujus frequentissimi quotidie videntur effectus, in iis pœnis, quas palam serius, vel occyus infligit filiis, qui adeo sanctam, intemerandamque legem perfringunt.

Notandum est, Sanctus Chrysostomus inquit, in lege nequaquam dici, protervum hunc contumacemque filium a carnificibus esse arripiendum, sed ducendum a patre; neque illum extra urbem multandum, sed in medio foro audito dumtaxat parentum testimonio, sine ulla quæstione, aliave judicii forma ab omni populo esse lapidibus obruendum; & jure; fidei enim consonum non est, parentes, qui unice diligunt filios suos viscerum suorum fructus, & qui alioquin pro illis bona omnia, vitamque ipsam impenderent, velle eos palam accusare, nisi justissima causa compellerentur. Illum igitur in forum adducunt, eumque accusant, quibus auditis omnes, qui adstant lapidum ictibus nocentem occidere debent; ita ut legislatori nequaquam sufficiat, eos spectatores adesse supplicii, sed velit auctores, atque ministros esse, ut quicumque intuitus fuerit manum, quæ in parricidæ hujus caput lapides iecerit, admoneatur sibi sapientius agendum. Neque hoc una de causa divinus Legislator legem hanc irrogavit, verum etiam ut scirent omnes filium, qui indigne parentes suos excipit, non illis tantum injuriam afferre, quibus vitam debet, sed hominibus omnibus; ideoque vult omnes aliquid illius supplicio conferre, quippe qui ab eodem fuere dedecore affecti. Vult civitatem omnem, populumque qui ad hanc persequendam injuriam, quæ illis communis est, & non ex urbe tantum, sed ex orbe etiam exterminari hominem, quem omnes tamquam publicam pestem odisse debent, eo quod in parentibus suis totum humanum genus offenderit. Animadversiones D. Chrysostomi in legem hanc. *Chrysost. serm. 4. de variis Ostensis locis.*

Hoc est celeberrimum filii exemplum, qui sua patri obedientia nomen suum timmortalitate donavit, omnibusque seculis præbuit ejus submissionis exemplar, quam filii parentibus debent. Hic Isaac est filius Abrahæ gaudium, atque solatium parentis optimi; ac spes frequentissimæ sobolis, quam illi promiserat Deus. Cum illum e somno excitasset Abraham, præcepit, ut se præeuntem sequeretur. Pergamus, inquit, remotum in locum Deo sacrificaturi. Dicto citius surrexit Isaac, cumque emensio trium dierum itinere pervenissent ad montis radices cum duobus servis, & jumento sacrificii ligna deferente, Abram hoc exonerato, impositisque lignis super humeros Isaac cum eodem montem ascendit. Cum uterque gradibus æquis incederent, Abraham quidem manu cultrum, ignemque sacrificii gestans; Isaac vero ligna ad exstruendum rogum afferret, Pater mi, inquit Isaac; hic habemus quidem ignem, & ligna, at sacrificii victima ubi est? Ne hoc tibi negotium facessat, fili, Deus sibi victimam providebit. Cum vero in summum montis cacumen evasissent, Abraham altare compositum, extruxit rogum, atque oculos in Isaac convertens: Tu fili, inquit, victima debes esse, hoc namque Dominus imperavit. His auditis quin neverbum quidem redderet, sese super rogum extendit, patrique suo facultatem reliquit de se holocaustum Domino offerendi. Exemplum obedientiæ Isaac.

Refert Scriptura Noe cum ex vitis, quam ipse plantaverat, & cujus vis illi nondum explorata esse poterat, fructu epotasset, sensum amisisse, atque in ebrietatem cecidisse, quam tristis casus excepit. Cum enim ille vino madidus, non satis decoro corporis statu crapulam edormiret, ejus virilia nudata sunt; quod cum agnovisset Cham ejus filius secundo loco natus, rem vertit in ludibrium, fratresque simul accersivit, ut secum in cachinnos erumperent; qui cum sapientiores essent, ac parentis optimi observantiores, cui dupliciter debebant vitam, tum quod ab eo geniti, tum quod ex universalis catechismi fluctibus fuerant erepti, quin patris nuditatem riderent, eam suis vestibus post tergum rejectis operuerunt. Cum autem evigilasset Noe, & quid a filiis effectum fuerat intellexisset, Semo, & Japhetho quidem ob testatam eorum hac in occasione pietatem benedixit; Chamo autem, paternæ benevolentiæ affectibus in im- Pœna Chami filii Noe, eo quod parenti suo non præstitisset honorem.

Houdry Bibl. Tom. II.

BIBLIOTECA CENTRAL

precationes versis, maledixit. Zelus naturam vicit. Oblitus est, Cham filium suum esse, quia Deum ipsum offenderat contumelia patrem afficiens, quem Deus coli jubebat, irriforisque patris filios perpetuæ servitutis pœna damnavit. Noe fortasse festinantius æquo in levem, imprudentemque filium maledictionem suam maturasse videri potest; attamen quia Patrem filius in iocum, & ludibrium traduxerat; Patrem voti damnavit Deus, & noluit, ut unquam cum impudentissimi hujus filii minoribus populus suus fœdus percuteret, ut omnes homines intelligerent, quæ pœna inobedientes rebellesque filios maneat, cum non solum aculeatis dicteriis parentes irrident, verum etiam cum contumeliosius in eos agunt, neque injuriis, & opprobriis abstinent.

Ad quemcumque honoris, virtutisque gradum evehamur, numquam eorum oblivisci fas est, quibus debemus, quidquid sumus. Hunc S. Patriarchæ sensum fuisse liquet ex iis, quæ ex Scripturis didicimus; qui cum divina providentia principem in Ægypti regno post Regem obtineret gradum, Jacob parentem suum senio confectum eodem excepit honore, quo Principem excipi decuisset, eoque fato sancto, regia, magnificaque pompa corpus examine jussit efferri, ut in Chanaanitidem traductum in majorum sepulcra inferretur.

Ut exemplum vobis proponam, ubi tamquam in speculo videre possitis pœnas, quas ex inobedientibus filiis reposcit Deus, oculos in calamitosissimum Absalonem convertite; qui cum omni scelere filii erga patrem officia violasset, tandem delectas improbitatis suæ pœnas dedit funesta, miseraque morte, quam Scriptura nobis enarrat. Cædes fratris Ammon primum illi Davidis Parentis optimi indignationem conflaverat, qui ad quinquennium procul ab ædibus patriis solum vertere jussit. Verum simul, ac ab exilio fuit revocatus, insignem contra Regem ipsum rebellionem moliturus est, atque versute populi sibi conciliata benevolentia ipsum Regem iussit inaugurari. Deinde arma in ipsum patrem convertit, eumque Jerosolyma trepide egredientem persecutus fuit valida militum manu, quos collegerat, ut Patri coronam auferret. At divina iustitia passa non est inhumanissimum filium, qui omnes naturæ sensus abjecerat. David a filio lacessitus vim vi debuit propulsare, & exercitus Absalonis licet numero, viribusque superior occitione deletus fuit; qua in clade cum Absalon sibi fuga consuleret, & sub ingentem quercum transiret, divino certe consilio factum est ut capitis cæsaries arboris ramis innecteretur ita, ut equo, quo vehebatur, perniciissime procurrente, pendulus ipse in aere permaneret, quin uscumque sese inde posset expedire. Hunc ita pendentem cum Davidis milites conspexissent, lanceis illum transverberarunt, occiderunque: licet incredibili charitate David illos in prælium mittens, præcepisset, ut ab Absalonis sanguine abstinerent.

Exemplum afferam prorsus oppositum in Salomonis persona, cujus suavissimum ingenium penitus abhorruit a fetitate Absalonis fratris ejusdem, de quo supertime sermo fuit. Rex iste Sapiens, quem omnes finitimi populi venerabantur, numquam majorem promeruit laudem, quam cum pro tribunali sedens infirmi jussit solium ad dexteram suam, ubi matrem sedere voluit. Numquam profecto majorem invenire laudem poteritis, quam cum summo honore, atque reverentia illos, a quibus vitam recepistis, excipietis.

Sæpe recogita admirabile exemplum non hominis quidem, sed ipsius Filii Dei, qui propter nostram salutem Homo factus, subditus esse, & obedire dignatus est Sanctissimæ Genitrici, & Sancto Joseph usque ad tricesimum vitæ suæ annum, cum esset universorum Dominus, ut omnibus filiis suo monstraret exemplo, quem parentibus suis honorem debeant, atque ut intelligeremus indignissimum esse, hominem eorum imperium detrectare, a quibus genitus est, cum Deus Cœli, atque terræ dignatus fuerit sese illi submittere, a qua temporalem nativitatem recipere non erubuit.

Salvator huic erga matrem suam officio satisfacere voluit, cum illam omni humana ope destitutam relicturus in locum suum Sanctum Joannem substituit, qui eidem, donec in terris degeret, famularetur: *Mulier*, inquit illi; *Ecce filius tuus*. Nihil oblitus, eorum est, quæ filius optimus efficere poterat matri ætate jam provecta, & quæ per se sibi victum comparare non poterat. Illi dedit in filium unum ex discipulis suis, cum vero potissimum, quem præ cæteris diligebat, & a quo unice se diligi noverat, & cujus fides sibi comperta erat, atque explorata. Denique tunc afflictæ matris hujus solatio consuluit, cum alio cogitationes suas convertere debuisse videbatur, cum sævissimi dolores, quibus corpus ejusdem torquebatur, & proximæ mortis angustiæ omnem illius occupare mentem debebant. Attamen numquam oblivisci potuit illius, quam semper dilexerat, ita ut inter gravissimos cruciatus, eidem solatium afferre adniteretur.

Judæorum Sacerdotes, Pharisæi, Legisque Doctores, ut suam explerent avaritiam, genuinum corruperant sensum præcepti de colendis parentibus impia traditione, quam in populo studebant invehere sub speciosio religionis, atque pietatis in Deum pretextu: hanc enim prætexentes causam, Deum vi delicet rebus omnibus esse præferendum, ipsis etiam consanguineis, immo nobis etiam metipsis, palam docebant, opus esse magis, offerre Deo, quam parentibus adesse, qua de re acerrime illos redarguit Salvator, exprobrans Dei mandatum ab ipsis deleri, ut humanam traditionem eamque consuetudinem, quam contra jus, fasque instituerant, tuerentur: nam opus est, ut quod meræ devotionis est, iis cedat, quæ necessario facere tenemur. Nulla autem pietatis erga Deum opera illi possunt accepta esse, ubi sanctissima lex ipsius perfringatur, & non expleantur naturalia officia, a quibus dispensari nullo modo licet, quale est parentibus necessitate laborantibus opem afferre.

Dei Filius acriter in Legis Doctores invectus est, qui præceptum colendi parentes everterant.

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento Applicatio.

Ego honorifico Patrem meum. Joan. 8. Ita Dei Filius respondit Judæis, a quibus sævissimis calumniis impetebatur. Non alia in omnibus actionibus meis, quæ improbe damnatis, mihi mens est, quam Patrem meum colendi, eique debitam gloriam procurandi. Oportet (Fideles,) ut filius, qui post Deum a patre suo vitam, nomen, bona, & sæpe etiam honorem, qui generi suo, ac nobilitati defertur, accepit, in hoc suam gloriam constituat, ut colat principium, ac fontem, unde hæc omnia bona procedunt, ita ut moribus, verbis, factisque dicere possit cum Jesu Christo: *Ego honorifico Patrem meum*. Si illustre a parte genus accepit, nihil admittat, quo eodem indignus videatur, sed immo tueatur illud, & caveat ne a patria dignitate degeneret, vel maculam aliquam nomini, quod gerit, offundat: *Ego honorifico Patrem meum*. Hæc eadem ratio est, quæ ad illos adhortandos allumitur. Si communi, imo etiam humili loco natus est, gloriam, quam adipiscetur, pro vitili in vitæ suæ auctorem transferat, illum celebrem, atque commendatione dignum efficiat, quod in lucem ediderit filium qui præclare factis inclaruit, quod non paucis contigit, quorum parentes, atque majores a filii nominis immortalitatem sunt nacti. Hoc sane est parentibus avisque gloriosam in hominum memoria vitam pro brevi, perituraque vita referre; hoc est ex tenebris patris nomen eruere per filii gloriam, qui efficit, ut pater cognoscatur, eumque, ut ita dicam, proferat in lucem.

Quomodo filius Patrem honorare possit, in illum omnem convertens honorem, quem ipse acquirit in mundo.

Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Malac. 1. Non modica ratio est, nec parum apta ad ostendendum honorem, & reverentiam, quam parentibus debemus, videre in Scripturis Deum Patris nomen sibi vendicantem, quasi omnes Dei, Creatoris Cœli, atque terræ, aliique omnes titi, quibus super creata omnia extollitur, non satis significent necessitatem eorum officiorum, quæ ipsi debentur? *Si pater ego sum, ubi est honor meus?* Unde colligi potest, quanta sit enormitas sceleris, quod filii committunt, qui adeo necessario muneri desunt, ac illis honorem detrectant, qui erga se Dei locum obtinent; & quam venerabile sit nomen, & dignitas Patris, quandoquidem ipse Deus qualitatem hanc non dedignatur, & sub hoc nomine exigit honorem, atque reverentiam, quæ sibi tot ob causas debetur.

Quam venerabile sit nomen, & dignitas patris.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ; effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ. Prov. 30. Non satis virium habere possunt verba mea ad innuendam ulionem, quam reposcit Deus de filiis parentes suos irridentibus, cum effecta jam ætate sunt, vel gravi aliquo morbo laborant. Sancta Biblia prorsus novum, & peculiare adinvenerunt supplicium ad eos plectendos,

Pœnam, qua repetit Deus ex illis qui parentes suos contemnunt.

dos, cum ajunt oculum filiis patrem subsannantis a corvis eruendum esse, & ab aquilis devorandum. Hæc non est oculi contemnentis nictatio, non frons ad ejus occursum in rugas contracta, non gestus indigitans illum nullo in discrimine haberi, non pervus contemptus est; haud ita sane; sed est contra parentes, qui a nobis summo sunt habendi in honore contemptus; hinc autem quid concludit Spiritus Sanctus? *Effodiant eum corvi*. Volo, oculum hunc indignantem, & subsannantem fieri rabidorum corvorum prædam; volo pabulum fieri aquilarum jampridem collecta fame sævientium. Hæc verba in naturali sensu significant filium hunc non mereri diei lucem cernere, indignum esse, quem tellus sustineat, cumque cæteri post mortem humo condantur, hunc in sterquilinium projiciendum esse carnivoris animantibus prædam.

Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Matth. 10. Verba hæc, ex D. Ambrosii sententia significant, Dei cultum semper esse preferendum pietati, quam parentibus nostris debemus; itaut eo amore, quo illos prosequimur, vel obedientia, quam illis præstamus, nullum unquam Dei præceptum infringatur; & cum illis in hujusmodi occasione resistimus, vel cum gravissimis etiam eorum sollicitationibus adversamur, tunc adimpleamus præceptum, quo illos odisse jubemur; hoc est, duriuscule extrinsecus cum illis agimus, quemadmodum ageremus cum iis, quos vel contemneremus, vel odio prosequeremur, illos deserentes, iisque resistentes ob effugiendam gravissimam illam sententiam, quam Dei Filius in illos pronuntiat, qui amorem suum erga parentes reverentiæ, amori, atque obedientiæ, quæ Deo debetur, anteferunt.

Patribus obediendum non est, si quid contra Dei legem præceperint.

Et erat subditus illis. Luc. 2. Dei Filius subditus erat Matri suæ, & Sancto Joseph. Quodnam submissionis prodigium! In Æternitate Verbum non pendet a Patre, quia quatenus, & ipse Deus est; illi æqualis est; homo vero factus per temporalem regenerationem non solum pendet a Patre Æterno; verum etiam a Matre sua, & Sancto Joseph, Virgo enim quatenus Sancti Joseph conjux huic subiecta est. Ita qui nemini obedire poterat, quatenus nullum superiorem noverat, nostram naturam induens vitam suam ad Mariæ, & Josephi nutum instituit, suamque eorum subjicit voluntari. Incomprehensibile Mysterium, videre Deum creaturis suis subditum. Quam potiori jure nunc dici potest, quam de eo tempore, quo Josue præcepit ne sol moveretur, Deum voci hominis obedire. Quis pudor, o pueri, qui ea, quæ debetis, non excipitis, reverentia illos, a quibus vitam accepistis, cum vobis ob oculos versetur exemplum Dei creaturis suis obedientis.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Nihil charius filiis debet esse quam pater. Aug l. 2. de Serm. Dom. in Monte.

Malos filios, ne de iis erubescant, etiam parentes abdicare solent. Idem, in exposit. Epist. ad Galat.

Honorandus est pater, sed obediendum est Deo; amandus est generator, sed proponendus est Creator. Idem, Serm. 7. de Verb. Dom.

Amate parentes, sed præponite parentibus Deum. Idem, ibidem.

Amorem parentum & filiorum, Christus non abstulit, sed ordinavit: non dixit qui amat, sed qui amat super me. Idem, Serm. 3. ex additis per Symmundum.

Parentes honorare debemus, & eos tamen propter annuntiationem regni Dei, nulla impietate contemnimus. Idem, contra Adimantum, c. 6.

In ea re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius. Idem, in Ps. 70. Serm. 1.

Ornamenta juvenilis ætatis sunt, & adolescentium honor, timorem Dei habere, parentibus deferre. Ambr. l. 8. Offic.

Pasce, o fili, parentes, illis debes quod habes qui debes quod es. Idem.

Ideo improbum habere meruit filium quia improbus fuerat patri. Loquitur de Chamo filio Noe. Idem, l. de Noe & Arca.

Justum est ut filii reverentiam exhibeant eis, per quos sunt. Idem, in Epist. ad Ephes. c, 6.

Utrum admirer & obstupescam justius? fortemne spiritum Patriarchæ (Abrahæ) an pueri Isaac obedientiam, quod nec reluctatus est, nec factum ægre tulit, sed cessit & obtemperavit? Chrysostom. in Genes.

Tolle radium a sole, & non lucet: rivum a fonte, & deficcabitur; ramum ab arbore, & arescet: sic separa filium a devotione paterna, & jam non erit filius. Chrysologus.

Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est; ipse enim dicit, qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus. Bernard. Epist. 111.

Si impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum piissimum est. Idem Epist. 104.

Perpende quantæ crudelitatis sit, illos displiciendo contemnere, par quos habes & ipsum esse. Petrus Damiani, Epist. ad Albertum.

Qui patri non obsequitur, Deo non obsequitur. August. l. de Obedientia.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum possit deprimi.

Honor, & reverentia, quam filius, quatenus filius præstat parentibus suis ex D. Thoma, actus est pietatis, quæ, ut Sanctus hic Doctor ait, non omnibus indiscriminatim hominibus, sed parentibus tantum, patriæque nostræ debetur. Ratio vero, quam adfert, est, quod pietas, quatenus virtus moralis, locum tenet statim post Religionem. Cum autem Religio cultum Deo deferat propter singularem, atque infinitam ejus præstantiam quatenus est primum rerum omnium principium; pietas quoque parentibus, patriæque præstat obsequium, ac reverentiam, quam illis debemus tamquam secundis vitæ nostræ principiis; cumque parentes solum, & patria haberi queant secunda vitæ nostræ principia, hoc proprie tantum respicit pietas. Quamvis in parentum honore, & reverentia contineatur etiam honos, quem consanguineis nostris debemus, quatenus ex eodem genere sunt præceptoribus, a quibus erudimur, directoribus, Patribusque Spiritualibus: hic tamen honor his debitus non nisi per analogiam, atque latiori in significatione pietas nuncupatur.

Ad quam virtutem referatur reverentia parentibus debita. *D. Th. 2. 2. quæst. 111. art. 2.*

Deus est universale, ac supremum essentiæ nostræ principium; parentes vero sunt velut secunda particularia principia; unde sequitur post Deum nos plus parentibus nostris, quam cæteris quibuscumque mortalibus debere. Hinc S. Thomas concludit, præceptum, quo parentes colere, atque revereri jubemur in Decalogo, positum esse statim post ea præcepta, quę Dei cultum, honoremque respiciunt. Itaque talis est nexus, tantaque affinitas inter hæc hominum officia, ut Philo Judæus testetur præceptum colendi parentes partim scriptum fuisse in priori tabula, quæ ea continebat, quæ Deo præstare debemus; partim in altera, quæ ad proximum pertinet; parentes enim in terris eam exhibent auctoritatem, quam in nos obtinet Deus.

Post Deum parentibus nostris, magis cæteris quibuscumque debemus. *S. Thom. quæst. 122. art. 5.*

In hoc Decalogi præcepto paucis verbis omnia filiorum erga parentes officia complexus est Deus.

Deus in hoc precepto complexus est omnia filiorum erga parentes officia.

Quæ verba tria continent præcipua filiorum officia; primum est, parentes colere, & amare; alterum illis obtemperare; tertium eos alere, & indigentibus opem ferre. Hæc autem officia ita arcta sunt, ut iis, qui illa rite non expleverint maledictionem suam Deus minitetur, eosque ultimo damnet afficiendos supplicio, tamquam indignos ejus vitæ, cujus auctores contempserunt. Hæc est Sancti Pauli animadversio. Honora parentes tuos; hoc primum est mandatum, cui adjacet promissio, ita ut diuturnitas vitæ non solum in futura gloriæ vita illis promittatur, qui parentes suos coluerit, verum etiam in vita præsenti; quamquam secundum secretum providentiæ ordinem, atque judicia Dei quidam eorum, qui parentibus suis obsequuntur, nequaquam diu in terris permaneant, ne illos corrumpat nequitia; & e contra nonnulli eorum, qui parentibus suis sunt contumeliosi, diutius, quam cæteri vivant, ut illis pœnitentiæ spatium relinquatur.

Culnam rationi inanitatur obedientia, quam parentibus debemus.

Inter officia, quæ parentibus nostris præstare tenemur, primum, & quod eminenter cætera continet, quodque præsertim a Sancto Paulo commendatum accepimus, est obedientia: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Hujus autem officii fundamentalis ratio est quoddam jus principatus, ut Sanctus Chrysostomus inquit, quod natura in nos illis concedit; quapro-

BIBLIOTECA CENTRAL

pter Sapiens dixit, filios parentibus suis obtemperare debere tamquam Dominis omnem in se potestatem habentibus; cujus rei causam statim adfert, cum ait: Mementote, sine illis vos nascituros non fuisse. Quandoquidem igitur hac in re illis reddere non potestis, quæ accepistis: saltem illis præstare quæ debetis, tamquam subditi Dominis suis.

Charitatis ordo postulat ut parentes nostros amemus plusquam alios.

Nemo inficias ire potest, in iis, quæ ad Charitatem pertinent, constantem, atque immutabilem a Deo constitutum fuisse ordinem; & quamvis ipse sit unicum nostri amoris objectum, ejusque finis esse debet, quemadmodum est principium, hoc tamen non prohibet quominus remotiora adsint objecta, quæ amare nobis licet, & per quæ, tamquam per media affectiones nostræ traducendæ sunt, ut ad illum, tamquam extremum finem referantur. Si enim aliquid extra ipsum, at non propter ipsum diligeremus, eum inordinate diligeremus, ut docet Sanctus Augustinus. Circa vero hæc diversa objecta certus proponitur ordo, qui mutari non potest, secundum quem in cordibus nostris varios obtinent gradus, & sunt alii aliis præferendi; quæ res officiorum nostrorum distinctionem, & inæqualitatem constituit. Deus ergo est præcipuum objectum primum in charitate obtinens locum. De eo, quem nobismetipsis debemus, amore non loquimur; deinde succedunt patres, inde fratres, consanguinei, aliique. Hæc officia universalia sunt, nihil umquam illa immutat, aut delet, neque alterum alteri debet obesse.

Illi singulari amore a nobis diligendi sunt: *Memento*, Sapiens ait, *quod nisi per illos natus non fuisses*: & tanto huic bono gratias referre studemus. At eam referre non licet, nisi illos amando; verum attendite, amor hic non naturalis tantum, & sensibilis esse debet, sed rationabilis, & secundum Deum; amandi sunt, & quia Deus jubet, & quomodo jubet: hoc est ita, ut præsertim spirituale bonum, ac salutem eorum diligas, atque precibus, aliisque rationibus omnibus, quibus potes, eam illis procures.

Quonam amore parentes sunt diligendi.

Obedientia illis præstanda. *Ad Colos. 3. Ad Eph. 6.*

Illis morem gerere debemus præcipientibus, quemadmodum Sanctus Paulus præcipit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino . . . Obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*. Sed *in Domino* obedire debemus videlicet, quia Deus vult, ac respicientes Deum per illos nobis imperantem: ipse enim imperat, ut illis obtemperemus; cumque hoc facimus, obedimus Deo, quemadmodum e contra Deo obedire detrectamus, cum illis parere renuimus. Ad hæc docet Apostolus officium, quod filius patri suo præstat, actum esse justitiæ: *Hoc enim justum est*; atque hac in re videtur necessaria quædam esse ratio, nexusque inter parentum filiorumque officia: Si enim parentum interest filios regere, & educare, ita ut hac de re severissimam Deo rationem sint reddituri; hinc sequitur filios debere parentum jussa capessere, illis obtemperare, & ab eorum nutu pendere. Supponendum tamen est nihil ab illis imperari, quod divinæ legi, vel nostræ utilitati adversetur; si enim nobis plane exploratum esset duplici hac de causa eorum voluntatem divinæ esse oppositam, altera esset relinquenda, ut alteram sequeremur; tandem enim Deus noster est primus parens, & salus animæ nostræ, nobis præ cæteris quibuscumque rebus esse debet antiquissima. Addit Apostolus; *Obedite parentibus vestris per omnia*, seu bona, sanctaque sint, seu nullo in mali, bonive discrimine posita, quia obedientia nostra efficiet, ut opera nostra coram Deo meritum nancisceantur; de iis enim, quæ plane mala sunt, jam diximus illis obtemperandum non esse, puta si injustitiam, ultionem, scelus, aut quidpiam simile imperarent.

Obedientia illis præstanda. *Ad Eph. 3.*

Parentes jus habent imperandi filiis. 1. In iis, quæ ad Dei cultum, & honorem pertinent, ubi filius sub peccati mortalis pœna illis parere tenetur; exempli gratia, ut Missæ interfit sacrificio festis diebus, aliisque id genus essentialibus ad salutem muneribus rite perfungatur; si enim refractarius hic filius non obedierit, duplicis sceleris reum se statuit, & quod primum perfregerit præceptum, & quod parentes suos debito officio fraudaverit. 2. Non in iis tantum, quæ ad Dei cultum spectant obedire fas est, sed in iis ipsis quæ ad urbanam vitam referuntur. Exempli gratia, pater filium jubet vacare studiis, ad hæc, vel illa munera incumbere, ut honestus fiat vir; si filius hic iners fueri, ignavus, vagus, & erro, mortaliter peccat, neque hac de re est ambigendum. 3. Cum gravissimum vitæ nostræ negotium sit status electio; filius ubi primum Deum ipsum consuluerit hac in re parentibus inconsultis nihil aggredi debet; semper eorum voluntati debet indulgere, nisi a Deo ad alterum statum evocetur, vel invictam animi sui repugnantiam superare nequeat, vel gravissimis non intelligat indiciis, hoc saluti suæ obfuturum esse, vel ea in vivendi ratione omni animi tranquillitate esse carituram; tunc enim patet filium jure cogere nequit. Itaque post Sanctum Thomam Theologi filiis optionem relinquunt generatim statum eligendi, neque eos cogunt parentum libidini obsequi, illos ad nuptias, vel religionem, ad Ecclesiasticum, vel sæcularem statum amplectendum, prout voluerint, compellentium. Putant conditiones has nimis onerosas esse, ut filii eas inviti subire debeant, atque ubi de toto vitæ nostræ curriculo agitur, nobis optionem integram esse debere. Verum ubi Dei voluntatem exploraverimus, nequaquam licere putant, parentibus inconsultis aliquid audendum esse; sed illis honorem hunc deferendum, ut saltem non invitis id faciamus, quod ipsis actoribus facere non possumus.

En, in quibus peculiariter filii parentibus obtemperare tenentur.

D. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 5.

Ea in obedientia, quam parentibus suis filii præstare tenentur, una excipienda occasio est, cum hi quidem a Deo ad religiosum statum evocantur, & parentes huic vocationi obnituntur. Hæc est Sancti Augustini sententia respondentis Adimantio hæretico, qui eo impietatis evaserat, ut hac in re Evangelium vituperaret, affirmaretque illud divinæ legi adversari. Sanctus enim hic Doctor respondet, Evangelio nequaquam prohiberi, quominus debitus parentibus honos præbeatur; sed ubi agitur de cultu Dei, & progressus in regno ipsius, posse illos citra impietatem relinqui, immo si jubeat occasio, contemni; honor enim, quem illis debemus, ordinem sequi opus est; cumque nullo modo conferri possit cum eo, quem debemus Domino, si conferi illum huic adversari, vel obicem statuere, sine ulla religione illum deseri posse, ut Dei honorem tueamur. Alteram quoque rationem Sanctus hic doctor affert, quemadmodum enim jus patrium emanatio quædam est auctoritatis Dei, *ex quo omnis paternitas*, ut loquitur Apostolus; hinc fit, patres non aliud esse, quam Ministros, & Vicarios Dei eorumque auctoritatem semper a suprema hujus auctoritate pendere. Si acciderit ergo, Deum aliquid præcipere, parentes vero aliud flagitare, vel obniti, ne obtemperemus Deo; quis dubitat, quominus hac in re patris potestas deficiat, quoniam illi est opposita, a qua vim obtinet suam? De hac autem occasione intelligenda, & explicanda sunt illa Jesu Christi verba. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*.

Obedientia, quam filii parentibus debent non eo ferturat, ut illos a Deo religionem vocatos, inde deterreat.

Matth. 10.

Excusatione qualibet filii carent, si parentibus nequissimis, atque omnium libidinum genere inquinatis senio, morboque confectis eam negent opem, subsidiumque, quod ipsi acceperunt. Etenim mandatum colendi parentes eos etiam comprehendit, quos vitia, & scelera obsequio indignos videntur efficere; & non secus ac amor, quem debemus Deo, exigit, ut inimicos nostros diligamus, quamcumque illi nobis odii occasionem præbuerint: ita honor, & reverentia, quam debemus Deo, sufficit, ut parentibus nostris jussu ejusdem illud præbeamus obsequium, quod noster animi dolor eos non mereri vellet ostendere; & filios, qui hoc munus nequaquam expleverint, coram Deo patrum suorum nequitia minima excusabit, Mandatum hoc est generale; neque excipiuntur filii, quos paterna libido ad summam egestatem redegit; sed quicumque huic præcepto non obtemperaverit, ex eorum erit numero, quos puniet Deus, quod illud perfregerint.

Filii tenentur adesse parentibus suis licet omni honore indigni.

Cum parentes Dei locum teneant erga filios suos, de criminibus, quæ contra illos committuntur, quadam cum proportione, idem dicendum est ac de illis, quæ contra Deum perpetrantur; ideoque inferendum est; 1. Nulla hac in re levia esse crimina, & licet contemptus sit levis, noxam tamen semper gravem esse propter eum, de cujus honore agitur. Non secus ac docent Theologi, omnia peccata nostra malitiam habere propemodum infinitam, licet levia, & venialia vocentur, eo quod Deum lædunt qui infinite supra peccatorem attollitur: ita patris nomen est titulus in natura adeo præstans, ut in se nescio quid infinitum habere videatur; & idem ferme inter patrem, & filium, ac inter Creatorem, & creaturam discrimen inveniatur. Illud autem constans est, ubi filius quid in patrem peccat, longe nocentiorem esse,

Quidquid contra hoc præceptum committitur, grave est.

esse, quam si in alium quemlibet hominem peccaret. 2. Hinc etiam inferendum est, eum qui patrem contemnit, vel lædit, scelus committere numquam reparandum; quemcumque enim honorem deinde illi deferat, & quocumque dolore afficiatur, nemo contractum æs alienum dissolvere potest, cum in ære suo non est, & ea, quæ possidet, ad suum pertinent creditorem: Ita quodcumque sua conetur obedientia, & obsequio filius, nihil præstat, nisi quod debet; ablatumque patris honorem reparare non potest.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Filii parentes colere tenentur.

CErtum est, necessitatem parentes colendi, amandique inevitabilem esse, non solum propter politivum præceptum, quod a Deo accepimus, verum etiam conformis est æternæ veritati, quę semper est eadem, & quæ neque vicissitudinem patitur, nec mutationem. Patris titulus in filio statuit necessariam grati animi relationem; illi hujus principium communicat, eidem vitam communicans, & gratitudo quam illi debet, nequaquam minus essentialis est, quam dependentia, qua pendet a patre quatenus effectus, & productio naturalis a causa. Hoc igitur officium æstatibus, & conditionibus omnibus commune est, ac nemo se ab eodem immunem ostentare potest, licet rationes illius adimplendi sint variæ: *Abbas Trappensis Tomo 2. de Vitæ Monasticæ Officiis c. 16. quæst. 13.*

Dei timor efficit ut parentes colamus.

Si Dei metum in corde habueritis, coletis parentes vestros; quibus ille contulit auctoritatem in vos, quia hoc ille & poscit, & jubet; & si illos non colitis, neque Dei amorem, & metum habetis. *Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis servit his, qui se genuerunt*. Et sane Deum timere non est, rem adeo sanctam contemnere, quam ipsa nobis inspirat natura, & quam præcepit Deus, qui nullas non intentavit minas in eos, qui hoc munus minime expleverint: Veluti cum ait, *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix. Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem*. Utinam hæ minæ in omnium filiorum, qui quid parentibus suis debeant, obliviscuntur, animis infixæ inhærerent. *Gobinet, instruction de la Jeunesse part. 4.*

Ad Eph. 3.

Prov. 19.

Prov. 20. Eccli. 3.

Quinam esse debet erga parentes amor.

Singulari amore parentes diligendi sunt. *Memento*, Sapiens ait, *quoniam nisi per illos natus non fuisset*. Grati vero illis esse potestis illos amando; quid enim tanto beneficio par illis potestis rependere? Verum animadvertite amorem hunc non esse debere naturalem tantummodo; atque sensibilem, sed rationalem, & secundum Deum. Ut autem parentes secundum Deum diligantur, amandi sunt, quia hoc præcipit Deus, & quomodo idem jubet; videlicet ita ut primum spirituale eorum bonum, ac salus ametur, eaque precibus cæterisque quibuscumque fieri potest, rationibus procuretur. Illos summo obsequio excipite, eosque considerate tamquam vitæ vestræ post Deum auctores; cavete, ne illos unquam contemnatis, quacumque ex causa, neque intrinsecus aliqua cogitatione contemptus, neque extrinsecus verbis, gestibus, aliisve actionibus, que contemptorem animum indicent. Reverenter eorum monita, castigationes, & correptiones excipite. Illorum egestatibus subvenite, ægros, pauperes, senio confectos, & generatim quacumque vel temporali, vel spirituali necessitate pressos levate. Illos hujusmodi in necessitatibus deserere scelus est divinam ultionem deposcens. *Idem*.

Matth. 10.

Numquam satisfacere possumus iis, quæ parentibus nostris debemus.

Si S. Paulus Apostolus dixit, charitatem, & amorem, quem fratribus nostris debemus, debitum esse numquam dissolvendum: potiori jure dicere possumus, amorem, & obsequium, quod filii parentibus debent, debitum esse, cui solvendo non sunt; ideoque licet imperfecti, importuni, molestique sint genitores, filii quacumque ex causa, & sub quovis prætextu numquam jus habere possunt in cordibus suis debitum amorem extinguendi. Ratio vero, quam ipse Spiritus Sanctus adfert, hæc est, quia post Deum patres sunt vitæ nostræ origo, & principium: *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses*. Opus est, ut amor, & reverentia, quam genitoribus debes ex ipso corde tuo ducat originem; Quod in eo positum est, ut de illis optime sentias, eos colas, & diligas; deinde vero existimationem tuam tesseris, cum laude verba faciens de iisdem. Attamen non officiosam a te dumtaxat reverentiam, inaniaque verba expetit Deus; sed charitas efficax esse debet; ideoque coram illis humiliter loquendum est, illi beneficiis prævertendi, atque omni studio contendendum, ut illis placeas. *Auctor recens*.

Eccli. 7.

Contra rebelles filios, ac inobedientes.

Quid cogitandum est de rebellibus, inhumanisque filiis, qui parentum suorum existimationem proscindunt, qui manum in illos audent attollere, eisque minas intentant? Jubet Scriptura lapidibus obrui hos filios, qui omnem naturæ sensum abjecerunt; verum hęc scelera adeo rara esse reor, ut de illis verba nequaquam facere satius ducam: illudque potius dicere lubeat, quod vetus olim legislator respondit quærenti, cur inter rogatas a se leges, nullam irrogasset pœnam in filios, qui parentes suos percutiunt, vel afficiunt contumelia? ideo videlicet, quia numquam in terris esse posse putabat filios adeo inhumanos, qui adeo grave scelus commiterent. Sed heu! lex, quæ apud Ethnicos inanis existimata fuit, inter Christianos erit necessaria, ubi videmus filios manum attollentes in patres contumeliose, illis maledicentes, mortemque cupientes; conviciis, probrisque illos insectantes, injuste in jus rapientes; vel illis in gravissimis necessitatibus opem detrectantes. Hæc monstra sunt, quæ in lybicis arenis vix, ac ne vix quidem inveniuntur, & quæ lex vetus sine ulla veniæ spe turpissima morte damnabat. *Auctor Anonymus*.

Magna culpa est in grati animi vitium erga parentes.

Si nosse cupis quibus in occasionibus filii gravi-ter peccent contra honorem, & reverentiam, quam parentibus debent, cum celeberrimis Doctoribus dicam, certum esse, qui eos percutit, vel se percussurum minitatur, qui factis, aut dictis illos lacessit, qui illos contemnit, quia pauperes sunt, vel qui eos agnoscere erubescit, vel in re alicujus momenti illis obtemperare detrectat, præsertim vero si id cum pertinacia, & per contemptum efficiat, qui illis indigentibus pro virili opem non affert; hic procul dubio mortali culpa Deum lædit; non enim citra nequissimæ ingratitudinis notam obedientiam, atque amorem iis negare potest, quibus post Deum acceptam referre vitam debet, & a quibus tanta cura, labore, sollicitudine educatus fuit, atque institutus. Hac ratione Tobias filium suum hortatur, ut matrem tolat; *Memor esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Honora patrem tuum*, Sapiens ait, *& gemitus matris tuæ ne obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Ex Pædagogo Christiano*.

Tob. 4.

Eccli. 7.

Filii parentibus obsequi tenentur.

Si tenetur famulus obsequi domino suo propter victum, quem illi præbet, vel propter leve aliquod pretium, quod inde refert, quid filii parentibus suis præstare tenentur propter vitam, quam ab illis acceperunt? Tantum est eorum debitum, ut leges antiquæ parentibus jus ipsum tribuerent filios vendendi, efficiendique de illis quidquid ipsis luberet; tanta est patrum auctoritas! Cum ergo illis obedire detrectant filii, næ vehementer errant. Profecto facinus filii eos contumelia afficientis, a quibus vitam obtinuit, coram Deo ita abominabile est, ut in lege veteri non ille solum, qui occidebat, vel percutiebat, verum etiam qui patri, vel matri suæ maledicebat, extremo supplicio afficeretur. *Qui maledixerit patri suo; vel matri, morte moriatur*; quæ lex extendebatur usque ad filium rebellem, & qui insigni audacia obedientiam nollet præstare. *Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur*. Hujus generis lex numquam nimis dura censebitur: ex quo enim in parentes tuos rebellas, temet in periculum adducens, ne per improbitatem mortem eorum prevertas, qui tibi vitam dederunt, nulla umquam sceleri tuo par pœna potest inveniri. Quenam sævitia est nequissimis criminibus tuis, flagitiosisque moribus illis dolorem inferre, qui te aluerunt, & educarunt? Liber inscriptus: *Regimen familiarum*.

Exod. 21.

Deut. 21.

Deum inobedientes filios gravissimis afficit pœnis.

Opus non est, civilibus, humanisque legibus hujusmodi refractarios filios extremo damnari supplicio: divina enim Providentia hanc sibi eorumdem puniendorum provinciam deposcit. Magnarum urbium xenodochia oppleta sunt filiis familias profugis, & rebellibus, qui in ipsa rebellione sua contra parentes suum dedecus, fuumque supplicium inveniunt. Satis, superque docet experientia, eos, quos turpi infamique morte justitia persequitur propter furta, cædesque patratas, omnes ferme confiteri, ipsorum calamitatis initium ex eorum contra parentes

rentes rebellione fuisse profectum. Non unus in terris est Absalon, qui in defectione sua justum supplicium, atque in ipsa inobedientia suam calamitatem inveniat; cum interim, nullus unquam pacatus, & virtute præditus extiterit filius, cui non benedixerit Deus, & quem parentum benedictione non confirmaverit: *Benedictio patris firmat domos filiorum. Pater le Jeune, Sermone de filiorum erga parentes officiis.*

Eccli. 3.

Quid filiis agendum cum patribus agquam.

Nihil est, quod intentatum filiis sit relinquendum, ut parentum suorum saluti consulant, eosque ad Regni Cælestis acquisitionem inducant. Quod si ab hac via parum christiano vivendi genere aberraverint, eosque etiam a Dei servitio avertere, atque in flagitia sua pertrahere studuerint; quin filii parentes suos corripiant, quod profecto illos irritaret, & exasperaret magis, eos patienter ferre debent, ac se coram Deo per cordis effusionem; cum precibus, lacrymisque prosternere, ad eorum conversionem petendam, & secreto aliquam pro ipsis pœnitentiæ austeritatem exercere, ut eorum misereri, eorumque cor immutare dignetur Deus. Attamen ubi commoda fandi tempora sese obtulerint, aliquot bona verba objicienda sunt, & salutaria monita non sine singulari obsequio tradenda. Ita nonnulli facti secundum spiritum patres eorum, quorum erant secundum carnem filii; cujus rei plurima in Sanctis occurrunt exempla. *Moralis Christiana in Pater l. 1. sect. 3. art. 12.*

Reverentia generatim, quam erga parentes suos filii debent adhibere.

Inter præcipua officia, quæ vult Deus parentibus præstari, non extremum in eo positum est, ut omnem illis adhibeamus honorem, illius auctoritati nosmet subinittamus, eorum acquiescamus judicio, quin obmurmuremus, vel si quando illis morem gerere non possumus, rationes cum humilitate afferamus, quin unquam illos contemnere videamur, licet pauperes sint, senio confecti, mente infirmi, ac malæ indolis. Quibuscumque defectibus sint obnoxii, meminisse opus est, nos ab illis natos fuisse, neque perpendere debemus, quinam in se sint, sed quid erga nos sint, parentes videlicet. Ad quemcumque honoris gradum evehamur, semper illis gratias habere debemus, neque oblivisci ejus reverentiæ, qua parentes prosequi nos decet. Quæ cum ita sint; quod graviter contra hoc præceptum peccant illi, qui eam, quam patribus debent, reverentiam non adhibent, qui ex illis sibi dedecus imminere putant, qui illos agnoscere erubescunt, qui cum illis agunt imperiosius, eosque sibi in ludibrium vertunt, hac in re imitati impietatem Cham filii Noe. Ut filios ab hac avertat impietate; ita illos alloquitur Sapiens: *Ne gloriteris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore.*

Deus maledixit illi, qui patri non obedit.

Eccli. 3.

In Scripturis Sanctis ejaculatur Deus terribilia anathemata in filium, qui parentes suos non colit; nec diligit. *Quam malæ, Sapiens ait, famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Neque Deo satis est illum suo maledicto percutere, sed vult etiam, ut mortales omnes ei maledicant. Hoc ille præcipit in Deuteronomio. *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem: & dicet omnis populus, Amen.* At hæc maledictio ad ejus honorem pertinet, ac bona, illum ad tutpissimam redigens egestatem; ad voluptates illum mœrore, ac tristitia conficiens; ad filios permittens, ut & ipsi patri suo sint rebelles, ad vitam præmatura morte dies ejus imminuens; ad nominis existimationem, æternam eidem ignominiæ notam inurens. Hæc expectare debent filii, qui parentibus suis dolorem afferunt, qui illos contemnunt, qui illos afficiunt ignominia, qui illos subjannant, atque in necessitatibus deferunt, Hos jubeo, Deus inquit in Lege, sine ulla venia ultimo damnari supplicio, atque lapidibus obrui. *Auctor Anonymus.*

Parentes colere debemus propter ea, quæ pro nobis passi sunt, mala.

Eccli. 7.

Nonne monet Spiritus Sanctus, ac dolorum, ac gemituum matris tuæ oblivisceris: *Gemitus matris tuæ ne obliviscaris?* Quos virium defectus, quæ tædia, quæ incommoda pro te passa non est, cum te suis gestaret visceribus? Quos dolores, quos metus, quæ pericula, quos angores, cum te in lucem ederet? Quos labores, quas sollicitudines, quas molestias cum te aleret? Quoties somnum illius intercidisti? Quot pertulit incommoda, cum ex papillis ejus exsugeres lac, ac sinu suo te complecteretur? Quas curas, quas sollicitudines, quos motus pater tuus non perpessus est, ut arctam hæreditatem tibi tueretur? Felix, si nondum illis dolorem attulisti! Cum in infantia, vel minimo laborabas incommodo, illi summo conficiebantur mœrore, veriti ne tui jacturam facerent. Parentes miseri! qui nesciebant, se sinu suo anguem fovere, viscera, a quibus genitus fuerat, dilaniaturum? Tantane sollicitudine se se torquere debebant, ut domi suæ aliquando inobedientem, protervum, rebellemque filium viderent? *Pater le Jeune.*

Parentibus laborantibus opem ferre tenemur.

Naturaliter filii tenentur corporalibus parentum suorum necessitatibus opitulari, ita ut si fieri possit nihil illis desit, & in hoc pietas vera consistit. Hujus rei præclarum in juniore Tobia habemus exemplum, qui patrem labore manuum suarum alebat, eique maxima cura, & infatigabili studio in extrema ejusdem senectute serviebat, tunc etiam postquam oculorum aciem amiserat, divina hoc permittente providentia, ut & patris patientiam, & filii pietatem experiretur. Hoc autem pacto parentibus in necessitate positis subvenire, in Bibliis eos honorare vocatur, & hæc præcipua est quarti præcepti sententia. Quod si hæc parentibus suis præstare tenentur filii, quam nocentes coram Deo illi sunt, qui non solum necessaria negant subsidia, verum etiam illis, quod habent, furripiunt, ac suffurantur? Ad id sufficiat audire, quid per os Sapientis Spiritus Sanctus loquatur: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Quod ide n est ac si diceret, hic scelus committit illi simillimum latronum viatores necantium; quoniam rapit bona illi, cui & sua etiam debet. De illis etiam hoc ipsum dicendum est, quibus parentes bona sua diviserunt, & qui horrendo ingrati animi vitio ne respicere quidem illos dignantur, eosque fame finunt interire. Ad hujus impietatis cursum inhibendum hæc Auctor Ecclesiastici monet. *Filio . . . non des potestatem super te in vita tua; & non dederis alii possessionem tuam, ne forte pœniteat te, & deprecaris pro illis: Melius est enim, ut filii tui te regent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. Moralis Christiana in Pater.*

Prov. 28.

Eccli. 33.

Ejusdem argumenti continuatio.

Tristissimum profecto spectaculum est videre parentes, qui postquam sese bonis omnibus exuerunt, ut filios suos locupletarent, eo infelicitatis redactos, ut panis offam quasi charitatis titulo ex eorum accipiunt manu, a quibus bonis fuere spoliati; at longe tristius est aliquot adeo duros animos inveniri, qui parentes suos fame languescere, & emori sinant, illis victus partem detrectantes. Hęc ferrea, æneaque corda non ab hominibus, sed a brutis ipsis animantibus essent edocenda. Non sine summa voluptate legi posse reor apud Sanctum Ambrosium (neque enim post tantum Doctorem hoc exemplo uti vereor) qua cura ciconiæ parentes suos senio effetos alant; & nutriant. Illos, cum præ senectute avolare nequeunt, suis humeris gestant; illis cibum afferunt, cum per se illum quærere non possunt, cumque illis exciderint plumæ, eos suis alis fovere non desinunt. Itane, o Deus, ex hujusmodi animantibus homines pietatis documenta percipiant? *Auctor recens.*

Amb. l. 3. Hex. c. 16.

Quid parentibus debemus.

Infinita sunt, quæ parentibus nostris debemus: æternum præterquam quod nobis vitam dedere ab infantia nostra, quæ plurimis patuit periculis, atque infirmitatibus, omnia quæ nobis necessaria fuere, suppeditarunt: eo tempore nobis opitulari sunt, quo sine illorum præsidio eramus perituri; bonitas eorum omnes infelicitates nostras avertit, quemadmodum eorum prudentia omnes errores nostros pertulit. Hi primi sunt, qui de nobis optime meriti fuerint; alii, quidquid nobis conferant, nonnisi super eorum fundo ædificant; prima nostri cordis officia illi tamquam fundi Dominis debentur; ipsi ante cæteros jus suum sibi debent vendicare. Ab illis vitam accepimus, hoc primum est ex omnibus naturæ bonis, & cæterorum fundamentum, quæ nihil sunt, nisi huic innitantur. *Desumptum ex Sancta familia Patris Cordier.*

De amore, quem illis debemus.

Licet omnia naturæ lumina essent adempta, in ipsa agrestis animæ obscuritate, dummodo non omnis sensus extinctus sit, & locum habeat instinctus, quo feræ reguntur, filius patrem amabit. Post Deum parentes amoris nostri primas sibi vendicant partes; nullus frater, vel soror est, non uxor, nec filius, qui amorem sibi hunc præripere debeat. Decalogus omnes eruditos homines, & cui tamquam divino verbo auscultandum est, omnibus amoribus ordinem præfignans, filiorum erga parentes amorem vel tamquam postremum primæ, vel primum secundæ tabulæ præceptum proposuit. Me-

dium illi inter utramque locum constituit; hic enim amor medium inter Deum, & homines locum debet habere. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Plurimum interest veritatem hanc menti nostræ altius infigere, de parentibus aliter esse dicendum ac de aliis amicis, cum quibus toties simultas oriri potest, quoties nos lædunt illos amare tenemur, donec intra fidelis amicitiæ fines sese contineant; e quibus si egrediantur, cupiditati suæ satisfacturi, nobis pristina libertas redit, qua primum erga ipsos indifferentiæ statum acquirimus; eosque tatis est communi charitate complecti, quin tamquam amicos peculiari necessitudine prosequamur. Familiaritates, visitationes, cordis effusiones, secretorum communicationes non sunt amplius in usu, nisi quatenus nobis arrident & leges amicitiæ nos ab hujusmodi minutis officiis exolvunt. At cum patribus nostris longe aliter faciendum est; eorum amor alium quemlibet superat, libertas qua ea dicunt, quæ displicent nobis, nocens non est, neque filium excusat. *Idem.*

Honor, & reverentia quam filii parentibus debeat.

Vetus quidam Philosophus corripiendum censuit, si quis quæreret utrum parentes sint a filiis colendi. Honor Deo debitus hominibus distribuitur eo longius, quo propius ad illum accedunt, vel quo magis perfectionum illius participes sunt. Coram Regibus contremiscimus, neque nisi cum summa reverentia eorum mandata excipimus, ac ita de cæteris, qui aliquem divinitatis caracterem gerunt. At parentes plures divinitatis caracteres erga filios suos obtinent, quam cæteri mortalium: ea omnia habent, quæ venerationem possunt conciliare; simul ea omnia tenent, quæ cæteri tantum per partes, ætatem, potestatem, jus, auctoritatem, &c. Quamobrem vetus quidam palam ajebat nullam in terris esse divinitatis imaginem, quæ majorem pre parentibus reverentiam mereatur; quos visibiles Deos appellabat. Domi eorum nascimur, tamquam in templis ipsorum, ita ut illis offerre debeamus amoris, honoris, & reverentiæ sacrificia; & ad eos accedere, eadem modestia, & humilitate, qua prope aras astamus. Sapientis hujus Ethnici sententiam Scriptura confirmat, cum filii in patrem blasphemiam, atque irreverentiam condemnat. Licet enim blasphemiæ Dei tantum, Sanctorumque nomen respiciant; nihilominus paterna, maternaque qualitas eos divinitati ita similes facit, ut injuria, quæ illis infertur, ejus peccati nequitiam, quod in Deum fit, imitetur. Quod si crimina, quę contra parentes committuntur, blasphemiæ nomen merentur, profecto honor illis exhibitus non alio nomine vocandus esset, quam sacrificii, cultus, pietatis, & venerationis; ideoque hęc ipsa vocabula in usu sunt posita. *Idem.*

Obedientia filiorum erga parentes.

Inter omnes subjectiones, quas homo homini habere potest, nulla æquior est ea, qua filius parentibus subest: Si enim eadem principia, quę pro rerum productione constituit Deus, earum etiam conservationi conferre debent, filius a Patre non minus vitæ regimen quam vitam ipsam recipere debet; eumque non solum tamquam benefactorem, sed etiam veluti dominum imperandi jus habentem respicere debet. Oportet ergo, ut filius, qui Deo rebellis esse non vult, & qui intra officii sui terminos vult contineri, parentibus suis præstet obedientiam, videlicet eorum voluntatem spectet veluti omnium actionum suarum normam, & credat illas eo gratiores Deo futuras, quo magis erunt huic normæ conformes; eosque audiat, quasi per os eorum Dominus loqueretur. Patrum, Deique jura ex eadem manant origine, & parentibus nihil contra Dei legem imperantibus obedientiam detrectare non possumus, quin illam Deo ipsi negemus. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Ne errent filii; hæc obligatio ex iis non est, quibus citra noxam, modo graviorem, modo leviorem, pro ut majoris, minorisve momenti res imperata fuerit, deesse possimus. Non opus est diutius huic argumento immorari, satis est, filios *parentibus non obedientes* a Sancto Paulo inter nequissimos peccatores cum sicariis, proditoribus, maledicis &c. connumerari. Ad hoc paulisper advertite animum, o filii patris jugum detrectantes; illi non detrectatis foriasse palam hæc officia, quia vel minime audetis, vel quia non potestis; verum cum obeditis, hoc adeo ægre, & gravate agitis, ut ipsum obedientiæ meritum amittatis; non dubitem enim querelæ, quæ miseri patris cor laniant; non desunt moræ, ac repugnantiæ, quæ vos invitos parere demonstrant. Pater hic, qui Deo rationem est redditurus bonorum, malorumque morum vestrorum prohibet, ne eorum utamini familiaritate, qui in omne libidinum genus vos impellere possunt; vos autem hoc invito illis familiarissime utimini! Vobis interdicit ludum illum, vel pravam consuetudinem, quæ nominis vestris jacturam præneoscit allaturam, vos autem ejusdem maledictionem præstolamini, ut eam relinquatis! Nisi juraverit, nisi minas intentaverit, nisi terrorem vobis incusserit, suam iram, & indignationem ostendens, nullam in vobis obedientiam inveniet. Vos Dei ultionem in caput vestrum convertitis, atque estis ex eorum improborum numero, de quibus loquitur Sanctus Paulus, in quos Deus in hac etiam vita iræ suæ tela ejaculatur. *Idem.*

Ad Rom. 1.

Parentibus in necessitate subveniendum est.

Ne vos pigeat aliquot sumptus efficere, ut parentum vestrorum necessitatibus opem feratis; eorum enim industriæ omnes vestras opes, vel saltem commoda vestra debetis. Vobis brachia, manusque dedere, ut laboribus victum vobis compararetis, pedesque, ut quod vobis deest, quæreretis; quoniam fundus eorum est, citra injustitiam fructus illis negare non potestis. Si parentes vestri diu a vobis alendi sunt; si grandior ætas illos morosiores efficit; si eorum triste ingenium vos avertit; si injustis questibus, & injuria dolent se male a nobis exceptos fuisse, postquam pro virili nihil prætermisistis, ut illis opitularemini, ne despondeatis animos; illis ne denegetis subsidium, & quodcumque solatium a vobis expetere possunt. Eheu! nonne sæva barbaries est eorum, qui ne parentibus laborantibus subveniant, rem familiarem ab illis imminutam prætexunt, ac putant, se culpa vacare, ubi eorum vivendi rationem improbaverint? Plurima habebat bona, si illis uti novisset, commode viveret; sed nullos nisi infanum caput fuum voluit consulere. Neque desunt, qui patribus se benefacere non debere putant, quia neque patres sibi benefecerunt; qui dicunt se præclaris onustos pollicitatiunculis nullum effectum habituris domo emissos fuisse ac uxori consociatos. Alius inquit, plures mihi alendi sunt filii, tempora mala sunt; alius ait, præter se non deesse alios filios patri; ubi reliqui symbolum contulerint, se quoque pro virili opem laturum; atque interim pater hic necessitate oppressus conficitur. Quænam crudelitas! Quæ barbaries! Aliud quoque est in filiis ingratitudinis vitium, quod non adeo grave videtur, sed nihilo minus criminosum est; cum videlicet filius præ verecundia patrem contemnit. Diceres enim omnes minimi affectus in filii nequam corde consentire, ut sui erga parentes officii obliviscatur; præ avaritia illi victum negat: præ insatiabili cupiditate mortem illorum concupiscit, ubi diutius vitam producunt, ut eorum spoliis potiatur; præ ambitione illos semovet; pudet enim illos tamquam patres agnoscere, cum pauperes sunt. Hujus generis filius, qui ob parentum humilitatem erubescit, majori seipsum afficit contumelia illos dedignans, quam si, quales re ipsa sunt, palam profiteretur. *Idem ex parte.*

De honore, & amore, quem parentibus debemus.

Quinam est proximus, qui nobis propius adhæreat, quam ipsi parentes? & quænam post Deum esse possunt prima amoris, & reverentiæ nostræ objecta, nisi illi, a quibus vitam accepimus? Omnia debemus Deo tamquam universali principio essentiæ nostræ; omnia parentibus debemus, tamquam particularibus causis, quæ ad productionem nostram concurrerunt. In Deo prima est, atque increata paternitas, in parentibus vero communicata, & subalterna . . . Itaque illis honorem, & operam, quam merentur, deferre, idem est, ac Deum, cujus referunt paternitatem, colere, eosque diligere, & prædilectionis amore inter proximos præferre eos, qui primum propinquitatis gradum obtinent, & quibus carnis, sanguinisque vinculis specialiter sumus conjuncti. *Ex Moralibus Sermonibus.*

Gratitudo, & opera, quas illis debemus.

Cum parentes nostri sint imagines Dei, qui suæ potestatis partem in ipsos transtulit, plurimum ipsis obedientiæ, honorisque debetur; cumque in creatis rebus nihil magis prope nos tangat, quam illi, nec aliunde in nos majora fluant beneficia, gratum animum, operamque nostram deposcunt. Hæc duo sunt fundamenta, propter quæ filii parentibus suis parere, eisque indigentibus pro virili opem ferre tenentur, & quæ simul deo magna damnant peccata, quæ erga illos patrantur; quorum alterum est defectionis, & ambitionis spiritus, quo illos contemnunt; eorumque auctoritatem claudere quærunt procaces filii; alterum est ingrati animi vitium, atque duritiei, qua illis cala-

BIBLIOTECA CENTRAL

Filii nihil parentibus inconsultis agere debent.

Gratitudo poscit, ut parentibus filii optimi fiant.

Quantum sit eorum scelus, qui parentes contemnunt, aut fraudant.

De mutuis patrum in filios, filiorum in patres officiis.

Justitiæ officium est parentes colere, sed officium hoc ut plurimum violatur.

De patria potestate.

Filii parentum voluntatem consulere, & sequi debent.

Filii parentibus opem ferre debent in iis maxime, quæ ad animam spectant.

Quomodo filii cum parentibus sese gerere debent cum ad religionem vocantur.

De obedientia, quam muti Salvator Matri, & S. Josepho præstabat.

Filius tenetur opem ferre parentibus egestate laborantibus.

Quid filiis faciendum, ubi ad Religionem non vocantur.

Remunerat Deus obedientiam filiorum.

Amor, quo parentes prosequi debemus.

Ecclí. 7.

Magnum est ingrati animi vitium parentes non colere.

Compendium officiorum, quæ parentibus nostris debemus impendere.

limitate, morboque laborantibus subvenire detrectant. *Idem*.

Deus parentibus ea tribuit lumina, quæ filiorum regimini sunt necessaria. Adolescentia præceps est, procax, cæca; prima, quæ illi sese offerunt objecta, illam afficiunt; fallaces amici decipiunt, propria consilia corrumpunt; atque passio sese immiscens judicium subvertit, ac in præceps trahit. At hoc de patribus dici non potest; qui filiorum suorum utilitatem respiciunt . . . Ita nullum est alicujus momenti negotium, ubi filii eos consulere propter propriam utilitatem non teneantur. In Veteri Testamento tanto in pretio paternæ benedictiones habebantur, ut patres sollicitarentur, atque mendentibus genis rogarentur; putabatur quippe Deus in promissionibus suis adimplendis fidelis magna semper patrum benedictionibus bona conjungere. At hæc patrum auctoritas si contemnatur, ut filii procaces minima pendeant ab illis, a quibus fuere geniti; si ad patrias admonitiones, correptionesque indurentur, ut cæce in omnia ruant objecta, in quæ passiones illos propellunt; Deus ira succensus jurat serius ocyus de eorum licentia pœnas sumpturum, modo insignibus suppliciis, modo illos cordis eorum corruptioni tradendo. *Ibid.*

Gratitudo, ac pietas exposcit, ut patribus re ipsa, non verbis tantum feramus opem. Cæteris in occasionibus, alienis, externisque hominibus opitulamur, in hac vero optime de nobis meritis, a quibus bonorum omnium primum accepimus, videlicet vitam. Alibi quecumque cum pauperibus habetur affinitas, & est, quam Jesus Christus inter fideles omnes constituit; hic vero contangunei sunt, parentes, cum quibus sanguis idem, communisque vita insolubilia vincula ejunciunt, & qui in una, eademque familia continentur. *Ibid.*

Ex iis omnibus, quæ hucusque dicta sunt, concluditur quam improbi illi sint, qui parentes suos vertunt in ludibrium, qui seu ambitione, seu negligentia monitis, minisque eorum aures obtraunt, & oris habitu ad iracundiam compositio sua nihil referre putant, utrum illi iraicantur; qui amarissimis verbis respondent; qui modo flagitioso contemptu illos irritant; modo nullum amorem illis testando lacessunt; modo subfannant, modo etiam impune eorum imperfectiones, defectusque corripiunt. Frustra dicis illos morosos esse, atque ob levissimas causas irasci; Angelica opus esse patientia ad pravam eorum indolem perferendam; nam vel jure succensent, vel injuria: si primum, cur queris? Omnis indignatio sua nonne in te ipsum est convertenda? Nonne tibi acceptas referre debes cautas, propter quas iraicuntur? Sin alterum, numquid tu ideo jure illis adversaris? Exerceatur opus est, virtus tua infirmitate, ac pravo eorum ingenio; ac lenitas, & obedientia apud te pœnitentiæ locum obineat; atque ut offendas, quomodo a te celantur patientes provectioris ætatis, eorumque asperitatis effectus. Tanto autem magis ad hoc teneris, quod sæpius accidit, ut fortunarum tuarum curæ, quas Tertullianus conjugii cruces appellat, illis negotium facessunt. Quot domesticis negotiis, quot laboribus, atque sollicitudinibus modo, pro felici litis alicujus eventu, modo vero pro impeditioris alicujus negotii administratione miseri patris animus excruciatur? Si agit, si fudat, si seipsum torquet, si valetudinem viresque suas exhaurit, ea, qua te complectitur, benevolentia ad hæc illum redigit mala; in quibus si quid illi accidit adversi, atque ideo impatientia corripiatur, tu sane illum æquo animo ferre debes. *Ibid.*

Hæc mutua sunt, Sanctus Chrysostomus inquit, officia; in aliis quidem submissionis, & gratitudinis, in aliis vero vigilantiæ, & protectionis. In filiis amor est obediens, ut parentum auctoritatem colat; amor gratus, ut eorum beneficiis respondeat; amor officiosus, ut indigentibus opem ferat. In parentibus tener est amor, ut filios educet, atque secundum statum ipsorum enutriat: amor sapiens ut illos in salutis via deducat; amor fortis, ut deerrantes corrigat. Hæ mutuæ sunt obligationes, & reciproca officia. *Ibidem*.

Officium hoc adeo justum est, ut vetus quidam Philosophus affirmare ausus fuerit, rem esse dignam supplicio, quærere solum, utrum parentes colendi sint. Non vereor autem hoc tempore palam de hac re verba facere, atque filios hortari, ut hoc adeo essentiale munus adimpleant, quandoquidem a plerisque negligitur. Natura hanc reverentiam inspirat, leges præcipiunt, omnium populorum consuetudo confirmat: sed licentia, & ingratitudo hominum natura ipsa, & sanguine, nec non legibus, & consuetudinibus omnibus validiores, sæpe hæc omnia patrum jura, filiorumque officia perturbant, nobisque in natura proponunt monstra in iis conspicienda, qui nobis vitam contulere. Parentis nomine nullum vel augustius, vel sacratius, vel magis inviolandum in natura inventur: non desunt homines tamen, quibus hoc nullum benevolentiæ, & pietatis sensum inspirat. *Sermo Manuscriptus*.

Antequam urbes ædificari, & regna usurpari cœptum esset, nulli Principes erant, nisi patres familias domi suæ. Natura, & ratio hoc jubebant; quis enim in familia obtineret imperium, nisi dominus? Quis vero dominus esset, nisi qui prior esset ingressus, qui major esset natu, & qui de subditis omnibus æque bene meritus esset? A quo filii vitæ luæ incolumitatem expectarent, nisi ab eo, a quo vitam acceperant? Quem consulerent, nisi quem rebus omnibus, ætate, experientia, sapientia præstare viderent? Cui obtemperarent, nisi illi, quem Deus in locum suum constituerat? Patris igitur intererat non solum filios alere, & erudire, verum etiam jus illis dicere, ac nocentes punire. Solus Principis aulam constituebat, proferebatque sententias, a quibus provocare non licebat. Nunc autem licet incolarum multitudine terra oppleta sit, atque ut vita, tuto, ac pacate duceretur contra vim impiorum oportuerit ad majorem potestatem confugere, ac Reges eligere, qui tamquam totius populi patres essent, auctoritas patrum familias imminuta non est, jura semper sunt eadem, ac filii eamdem illis semper debent obedientiam. *Ex Sancta familia P. Cordier*.

Quid efficere potest imbellis ratio in negotio difficili, vel periculoso? Ratio, quæ neque præterita recordatur, neque futura prænoscit? Ratio, cui non aliud nisi ex animi ægritudine, & ignorantia lumen accedit? Quæ non nisi per nubes oppositas videt quid sibi possit officere? Ratio, quæ omnia credit, quæcumque sibi libido proponit, quæ de negotio statuit, antequam illud agnoscat? Ratio puerilis, quæ externam tantum confectatur speciem, & quæ rei alicujus ipsam substantiam non penetrat? Judicate, pueri, utrum justa adsit causa vos admonendi, ne quid parentibus inconsultis aggrediamini. Opus non est tragica congerere exempla ad veritatem hanc confirmandam; licet pueri filius, hoc per vos dicere potestis. Si Italiæ xenodochia ingressi fueritis, ea vestratibus adolescentibus oppleta videbitis, qui inviris parentibus suis in alias regiones peregre proficisci voluere. Exercitus militiæ nomen dedere, ut parentum suorum jugum excuterent; privatas domos explorate, ubi inauspicata conjugia, ubi lites, ac diffidia dominantur, ea esse videbitis, quæ contra eorum voluntatem, quibus conjuges illos subjecerat Deus, consociata fuere. Illud vero pejus est quod refractarii, & inobedientes filii tunc solum suum errorem intelligant, cum facto nulla amplius superest medicina. Quamobrem ex alienis malis sapite, nihil aggredi audete, quin prius domestica consuluerit Oracula, quæ vobis tradidit Deus, omniaque eorum verba bibulis auribus excipite, tamquam ex Sanctuarii penitioribus adytis, atque ex tripode prodeuntia. *Idem*.

Cum filii ad satis maturam pervenerunt ætatem, ut de vitæ suæ statu consilium capere possint, si Deus illos validis prevertit afflatibus, ut vulgo solet cum illis, quos ad sanctiorem vitæ statum eligit; ad Deum confugere debent tamquam vitæ suæ dominum, supremumque fati sui arbitrum, ejusque implorare lumina, ut quod sibi optimum, fausque futurum est, vitæ genus amplectantur; ubi ne quid temere fiat, docti, sapientisque Directoris consilium petendum est. Sin autem Deus illis mundi hujus fastidium ciet, eisque tutum Religionis aperit portum; eidem obtemperare debent quocumque pretio, ut vocanti Domino summa cum fidelitate respondeant. Si parentes tales sunt, ut gratis motibus cedere possint, filii nihil movere debent, quin Dei vocationem, suumque propositum communicent. Hæc illis debetur reverentia omni officiorum, & urbanitatis genere, quam si negligas, jure conqueri possunt sibi præclaram meriti occasionem fuisse præreptam, ac dicere, si filii Deo sunt offerendi, non alia meliori manu, quam sua offerri posse. At si pateat parentes Dei voluntati operam, ut id prohibeant, reor tutius, utiliusque consilium esse, eos de re jam perfecta certiores facere, ac deinde omnem movere lapidem, ut divinæ voluntati acquiescant, eorumque animis tranquillitas afferatur. *Idem*.

Quod si filii sese nimis infirmos putent ad perfectum Religionis statum amplectendum, atque postquam divinam voluntatem consuluere, judicent se ad conjugalem statum vocari, cum reverentia expectare debent, donec pater eos de hac re alloquatur; sin autem sese affinitatis occasio offerat, quæ patri quidem placeat, & cui non nisi ægre, & gravate filius possit assentiri; potestne pater filium cogere, ut assentiatur? Negative uno ore Doctores respondent; & pater si invitos cogere adoriatur, se reum facit malorum omnium, quæ ex hoc conjugio possunt oriri. Non quod filiis jus adsit renitendi, ac renuendi nuptias, quæ sibi nullum dedecus, plurimam vero utilitatem videntur allaturæ, hac sola de causa, quia parentes priores in hanc mentem venerunt, vel quia ipsi alias mallent nuptias, quæ parentibus non arrident: debent filii itineris dimidium metiri; alterum vero dimidium parentes, ut obvii simul occurrant. Tribuant opus est parentes nonnihil filiorum suorum studiis; sed opus est etiam, ut filii plurimum parentum rationibus tribuant. *Idem*.

Cum parentes seu ob rem familiarem male procuratam, seu ob aliquem adversum fortunæ casum, vel ob aliam quamcumque causam in egestatem ceciderint, filius eos alere, subsidium illis afferre, eorum necessitatibus diligentissime consulere debet. Portentum; nequissima injustitia; crudelis barbaries! Patrem videbis, cujus frons sanguine, ut ita dicam, manavit, & aqua, ut filio suo bona congereret; qui potiori bonorum suorum parte, vel etiam rebus necessariis seipsum fraudaverit, ut filium vel ad aliquem honorem proveheret, vel illi felicissimas nuptias procuraret; & hoc filio rerum omnium affluentia, & nominis existimatione perfruente, patrem derelictum videbis, rebus omnibus carentem, ac nihil habentem, unde reliquum languentis vitæ spatium producat. Terribilem hic in ingrato filio duritiem inveniet, qui modicum illi in singulos annos subsidium cum querela, & murmure afferet, qui partem eorum, quæ ad victum sunt necessaria subtrahet; qui pro virili conabitur sese excusare, ne officium hoc adeo pium, sed simul adeo necessarius persolvat. Quænam supplicia, quas pœnas hæc æva barbaries, hæc inhumana duritia meretur? *Sermo Manuscriptus*.

Gravissimum, & maxime necessarium officium, quod filius parentibus suis præstare debeat, illud est quod ad animam spectat, præsertim vero cum ad extremum vitæ suæ spatium jamiam ad plures habituri sunt, illis Sacramenta procurando, suadendo, ut æs alienum dissolvant, hortando, ne in familia sua nihil causæ relinquant, quod diffidium, ac discordiam parere valeat, eosque monendo, ut bona exerceant opera salutem suam certam facturi. Nimis frequenter videntur filii, qui ab omni humanitatis sensu prorsus alieni, prohibent, ne quid in pia legata parentes erogent, ne mala parta restituant, & qui, sin minus audeant ore, corde suo dicunt, felicem esum esse filium, cujus pater reprobus est. O funestam posteritatem! O terribilem sensum! Illud tamen mihi magis miserum videtur, quod nihil hoc sensu in terris vulgatius est. Pater filios hæredes scribet ducentorum, vel trecentorum millium aureorum; & si moriens quibusdam egenis domesticis, vel xenodochio cuipiam ducentos, vel trecentos legaverit argenteos, filii has tabulas rescindere conabuntur, easque in quæstionem vocabunt. Hoccine justum est? Hoc non Religioni tantum, verum etiam bonæ fidei adversatur. *Idem*.

Quidquid narrat Evangelium de Salvatoris vita ab anno ejus duodecimo, quo in Templo fuit inventus, ad tricesimum ætatis annum, quo in publicum prodit Evangelium prædicaturus, in hoc vertitur, quod videlicet Matri Mariæ, Sanctoque Joseph erat obediens: *Et erat subditus illis*. Ad hoc tota illius occupatio tanto temporis spatio redigebatur; hæc illius fuere miracula, hæc prædicatio, hæc sola exempla, quæ triginta annis præbere dignatus est. Quid hac obedientia admirabilius, seu omnes illius circumstantias, seu omnia ejusdem mysteria perpendas? Primum qui obedit, ac se regi tamquam puer finit, Deus est, Æternum Patris Verbum, ille, qui tanta sapientia æque ac facilitate regit Universa, & qui, ut inquit Scriptura, molem hanc tribus digitis sustinet. 2. Quibus obedit? Mariæ, quæ sua Mater erat, & Josepho, qui Pater ipsius putabatur, videlicet Creatoris, quæ licet perfectissimæ, ac sapientissimæ, finita tamen habebant lumina, quæ cum infinitis Dei luminibus comparata toto cœlo minora sunt, quam si cum sole exigua scintilla comparetur; nihilominus vero illis eadem submissione obedit, qua Patri, cujus auctoritatem in illis venerabatur. 3. Quomodo obedit? Celeriter, perfecte, integre; neque satis erat illi quæ sibi præcipiebantur, efficere, sed illis omnino suam submittebat voluntatem, neque aliam nisi Mariæ, & Josephi voluntatem habebat. Quarto quibusnam in rebus obedit? In humillimis sane rebus, atque cum summo labore conjunctis, quæ prorsus Deo videntur indignæ, Mariæ, atque Josepho ea præstans officia, quæ famuli dominis, & pauperum filii suis parentibus solent. *P. Nepveu libro de Spiritu Christianismi. Tractatu tertio capite tertio*.

Quamvis de jure naturali sit parentes colere, atque illis inservire, non ideo indonatos abire patitur Deus illos, qui hoc faciunt, quasi hoc fuisset necessarium, atque inevitabile eorum officium. *Honore patrem tuum, & matrem . . . . ut longo vivas tempore, & bene tibi sit in terra*. Hanc ille Judæis mercedem pollicebatur, & ea, quam Christianis pollicetur, intra vitæ hujus fines nequaquam subsistit. Cum his longe præstantiori ratione agit; promittit enim post hanc vitam æternam etiam felicitatem, unde S. Augustinus concludit cum Christianus fideliter hoc Dei præceptum de parentibus colendis adimpleverit, Deum in promissionibus suis semper fidelem illi eam collaturum mercedem, quam huic obedientiæ spoponderit: *Ecce debitum reddidisti, accipe præmium*. Tuum munus erat amor, & obedientia: *Tuum opus obedientia*; præmium accipe; sed *quod præmium? Resurrectio sine morte*, atque æternæ gloriæ possessio. *Sermo Manuscriptus*.

Amor, quo pater filios suos complectitur, ingens est proculdubio, & matris amor vulgo major est: verum difficile est, neutrum a filio æquari posse, nisi felicissimo, atque locupletissimo sit ingenio. Fatendum nihilominus est, jucundum, præclarumque spectaculum esse, parentum dilectionem cum amabili filiorum reverentia certantem videre; ubi si cum voluptate hæc suavis contentio videtur, præclara sane eorum est gloria, qui victoriam reportant. Verum licet primo intuitu æquo, ut ita dicam, marte certare pars utraque videatur, liquet tamen, hactenus penes parentes victoriam stetisse; neque hic ordo cum sæculo interituros videtur. Sin autem aliquando filii parentum amorem superant, fatendum est, nullum in terris jucundius spectaculum Deo posse præberi. Eheu! fili, si bona tibi mater est, quæ te unice diligat, ne illi sis filius ingratus. Scias te illi primam curam, primamque sollicitudinem attulisse. Inter dolores ac gemitus illius natus es? *Gemitus matris tuæ ne obliviscaris*. Memento viscerum, quæ te portaverunt, & uberum, quæ te lactaverunt. Quoties somnum ejus æque ac requiem interrupisti? Numquam levi etiam casu lapsus es, quin illa gravi dolore conficeretur; & quoniam gaudia ipsa, quibus illam afficisti, eidem periculosa fuere, hinc conjicere potes, quas pœnas, quos mœrores ex ingratitudine tua, ex contemptu, ac duritia cordis tui experiatur. *Ex Petrarchæ Dialogo hujus Argumenti*.

Ob has causas, aliasque plurimas jure dictum est, nullum nequius ingrati animi vitium, quam quod oblivionem inducit beneficiorum, quæ a parentibus nostris accepimus. Aliis in occasionibus ingratos esse, nonnunquam peccatum est contra justitiam, hic vero contra naturam. Omnem navemus operam, ut aliqua ex parte de parentibus nostris bene mereamur, cum ipsi de nobis toto vitæ nostræ tempore, immo ante ipsam nativitatem nostram de nobis, perquam optime meriti fuerint; & eo celerius maturare debemus nostra erga illos beneficia, quo citius proxima eorum mors, vel etiam nostra fortasse, spatium temporis præripere potest, ita ut nobis integrum non sit hoc defungi munere, ac potest efficere, ut cum ingrati animi turpi nota moriamur. *Idem*.

Filii, parentes vestros colite, tamquam a Deo vobis prepositos, ut pro ipso vos regant. Ne ullum usquam vobis excidat verbum, quod debitam illis reverentiam imminuat; ne pertinaci studio illis adversemini; ne frigidæ, aut per contemptum illis

BIBLIOTECA CENTRAL

illis respondeatis; monitis eorum bibulas aures adhibere; illorum correptiones humiliter suscipite; illos summa complectimini benevolentia. Deus hoc jubet, docet natura, grati animi virtus exposcit, namque post Deum nemo est, cui his plura debeatis. At ne putetis tamen amorem hunc in sola benevolentia debere consistere; fortis esse debet, & efficax; hoc est illum effectibus præ vobis ferre debetis. Illis quæcumque a vobis pendet, officia præstate; cavete, ne ob lucellum aliquod illis intentetis litem, eos crudeliter excipiatis, atque senectutem eorum doloribus repleatis; quæ res nonnumquam mortem eorum prævertit. Econtra illis laborantibus opem, mœrentibus solatium afferte; ægros invisite, senio confectos, si victum sibi comparare nequeant, enutrite. Præsertim vero post mortem deferendi non sunt; ne exiguam denegetis stipem, ut illos ex purgatorii flammis eruatis, quo fortasse lapsi sunt, quia vobis curam suam enixius, atque attentius impenderunt, ita ut Dei ipsius oblivisce-rentur, vestris utilitatibus, & commodis invigilaturi. *Auctor Anonymus*.

In officiis nostris erga parentes cum amore conjungenda est reverentia.

Reverentia sine amore perfecta non est; amor sine reverentia inordinatus; sed amor cum reverentia conjunctus eam simul obtinent perfectionem, quam seorsim non possent acquirere. Ajo reverentiam sine amore esse imperfectam; non enim aliud est, quam inane cordis officium, operæ nostræ inutilis oblatio, cujus numquam videtur effectus, urbanitas re vacua. Amorem sine reverentia inordinatum affirmo, suam enim affectionem consulit tantum, & ut plurimum prætergreditur urbanitatis fines, quos Christiana Religio permittit. Reverentia aliquid ex prudentię natura participat, quæ nimis diu re meditatur, eas numquam exequitur; amor vero particeps est naturæ ignis, qui cum nimis violentus sit, nimioque feratur impetu, funestissima parit incendia. Hæc sunt ista duo, cum invicem sunt separata; at ubi conjuncta sunt quodnam officium amori præstet reverentia? Hoc. Cum amor sit ardens, hæc impetus illius moderatur. Altera vero ex parte quodnam officium amor præstat reverentiæ? Cum reverentia sit lenta; amor illam excitat, ac ad opus impellit; hæ in bene natos puero conditiones duæ requiruntur; opus est, ut amorem, ac reverentiam erga parentes suos præseferat, vel ut melius dicam; reverentialis amor in ipso perquiritur. *Sermo Manuscriptus*.

Nulla potestas solvere potest filium a necessitate parentes suos colendi.

Verum est, plurimas a Jurisprudentia tradi rationes, per quas filius e patris potestate mancipari potest, ac suam acquirere libertatem: at nulla civilis lex, vel humana potestas filium exsolvere potest a naturali necessitate parentes suos honorandi ad extremum usque vitæ spatium. Primum istud officium palam, conceptisque verbis in lege præcipitur, ac a Spiritu Sancto scripuis in Scripturis commendatur; & addit rationem: *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi*. Parentes nostri sunt imagines Dei, ac post illum vitæ nostræ fontes, atque principia, nec non instrumenta, quibus ille usus est, ut nobis vitam tribueret, eamque servaret. Auctoritas ipsorum divinæ potestatis est radius, atque ideo illos honorare debemus, quicumque illi sint, Quamvis pater nequam sit, iracundus, bonorum suorum dissipator, immo etiam impius; semper tamen pater est; & organum, quo Deus usus est, ut tibi vitam largiretur; ipse divinæ paternitatis est imago; ac tu debes illius revereri auctoritatem tamquam sanctam, atque divinam. *Pater le Jeune*.

Eccli. 7.

De præcepto a Deo instituto de parentibus honorandis. *Ad Eph. 6.*

Hoc de parentibus colendis mandatum ab Apostolo *Primum in promissione* vocatur; videlicet primum, cui Deus præmii promissionem adjecerit. Alia æque intemeranda, ac ejusdem momenti præcepta Deo irrogata fuerunt, equidem fateor; sed hoc primum est, quod maximo naturalium bonorum omnium, vita nempe, remunerari voluerit; perinde ac nemo diu beneficio hoc dignus esset, nisi filius, eum colens, a quo illud recepit, volente Deo nos ad præceptum hoc servandum excitare, & ex nostra utilitate, & eo præmio, quo non aliud jucundius in hac vita nobis accidere potest. Atque ut hæc merces amplior esset, vitæ hujus diuturnitati bona addit temporalia, quæ illam beatiorem efficiunt, quandoquidem illis benedicit, quibus parentes benedictionem impertiunt; quæ quidem in lege veteri maxima erat, atque periosissima hereditas, quam filiis pater relinquere posset. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 1. Dominic.*

FURTUM,

Aliena Bona, Restitutio.

MONITUM.

HOC etiam ex illis argumentis est, quæ cum illis, cum quibus aliquam rationem habent, ita cohærent, ut inde omnino separari non possint; nam aliena bona injuste parta, furtum, ac restitutionis necessitas naturaliter cum Avaritia, Divitiis, & Usura, de quibus alibi sermo est, necessario conjunguntur; quod tamen non abest, quominus varii fieri sermones possint, & tamquam diversa argumenta tractari. Interim sub hoc Furti titulo colligemus quidquid ad aliena pertinet bona, & restitutionem eorum necessario efficiendam, cum injuste retinentur; quibus addemus de necessitate eris alieni solvendi sermonem; quoniam vel solutionem venuere, vel differre non licet, quin contra justitiam peccetur.

Hoc argumentum, quod Moralis Theologia tamquam non postremum ex quæstionibus suis tractat, non cedit utilitate cæteris, quæ de suggestu possunt pertractari, propter necessitatem, qua tenetur unusquisque, hac in re se ipsum excutere, & propter multitudinem eorum, qui huic subjacent noxæ, nec non propter periculum salutis, quod subeunt, qui hoc munus non explent, vel qui minime quærunt, quid hac in re sibi faciendum sit, intelligere.

Cum autem hujusmodi argumentum de suggestu non eadem ratione tractandum sit, qua tractatur in schola; & nihilominus sit iisdem principiis insistendum; Concionator eam sequi regulam, monitumque debet, quod directoribus tribuitur; videlicet ut caveat, ne quid exaggeret, ne secundum sua præjudicia decidat, ne quid proferat, quod certum, tutumque non sit, sive ne tumultum conscientiis inferat, sive ne quis ad restitutionem incepte cogatur, sive ne aliis restituere jubeatur, quam iis, quibus damnum, & injuria collata fuit, ita ut acriter hortatus ad ea restituenda, quæ injuste quæsita sunt, atque ostendens necessitatem hujus muneris adimplendi suadeat semper, ut hac in re doctorum virorum, & eorum, qui exploratæ sunt probitatis, consilia quærantur. Hoc autem nequaquam relaxationem invehit, quin immo e contra, & Concionatorem, & Auditorem cogit, ne quid temere ille dicat, hic faciat.

PARA-

BIBLIOTECA CENTRAL

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. DE necessitate restituendi aliena bona, seu quæ injuste acquisita sunt, quomodocumque possideantur. Tres propositiones Concioni argumentum, ac divisionem possunt præbere: prima nullum esse statum, nullum officium, conditionem nullam, ubi aliquis se ipsum excutiat hac in re, uti debet, neque justam habeat meruendi occasionem, ne aliquam alieni boni particulam habeat, quam ideo restituere teneatur. Altera est, nullam humanam considerationem prohibere debere, ne illud bonum restituamus, quod injuste a nobis usurpatum cognoverimus, & quod nostrum non est: 3. Neminem a restitutione dispensari, nisi qui solvendo non est ea, quæ surripuit.

Quod ad primam pertinet, tamquam principium constitui potest, cupiditatem, hoc est affectum, quo aurum, argentumque congerere appetimus, quibus necessitatibus nostris consulere possumus, late in terris dominari, atque in omnium mortalium corde imperium exercere. Inde vero quot doli, quot fraudes, quot sophismata, ut bona vel juste parta fuisse, vel æqua conscientia retineri posse persuadeantur? Institutenda est variorum statuum inductio, ubi facile est, immo & facillimum proximo injuriam inferre. Qui juridicundo, & militiæ vacant, Domini, Servi, Principes, Subditi, Magistratus, Artifices, Divites, Pauperes ad id lex-centas habent occasiones, modos, atque prætextus; itaut non facile tantum sit, sed ferme etiam inevitabile, aliena habere bona, vel rapta, vel hæreditario jure accepta ab iis, qui usurparunt illa; post quæ ostendenda est inevitabilis eadem restituendi necessitas.

Quod ad alteram spectat propositionem, nulla est humana ratio, quæ prohibere nos debeat, ne male parta restituamus. Hic refelli possunt omnes prætextus, quos nobis cupiditas suggerit, desumptos ex conditionis suæ fulgore, qui non poterit amplius sustineri; & ea necessitate, in quam erimus redigendi; ex familiæ filiorumque utilitate, ex metu boni nominis amittendi &c. quarum cogitationum nulla salutis nostræ negotio est anteferenda.

Quoad tertiam, ostendendum est, tunc solum nos a restitutionis necessitate liberari, cum solvendo non sumus; sed hac in re non deesse periculum arbitrandi nos impares solvendo esse tunc etiam, cum pares sumus. Quod si re ipsa desit, unde male parta restituere valeamus, docendus est Auditor, quid hoc in casu eidem faciendum sit.

II. De furto, alienisque bonis, quæ retinentur.

1. Nullum vitium est, propter quod tam male audiamus, quam suffurari, & aliena bona retinere. 2. Nullum vitium est, quod confiteri magis pudeat, & quod melius dissimulare noverimus. 3. Nullum vitium est, quod magis illaqueet, impediatque conscientiam, propter aliena bona, quæ restituenda sunt.

III. De eodem furti subjecto. Ostendi potest. 1. Licet paupertas, atque egestas suffurandi præbeat occasionem, divites tamen, magis quam pauperes in periculo aliena retinendi versari, eo quod habendi cupiditas cum ipsa crescit pecunia. 2. Seu divites seu pauperes indiscriminatim ad restitutionem justitiæ titulo deberi; ubi docendum quænam sit hujus restitutionis necessitas.

IV. In eodem furti, rapinæque argumento ostendere etiam possumus: 1. Inertiam, ignaviam, laboris fugam pauperes ad furandum impellere; & qua cura evitandum sit illis hoc scelus, quod reparari facile non poterit: 2. Vanitatem, luxum, & avaritiam suadere divitibus ut proximo impotentia, concussione, & injustitia inferant damnum. 3. Hoc peccatum efficere, ut divites, pauperesque sibi mutuo fidere nolint; ideoque commercium omne, ac civilem societatem perturbari.

V. De alienis bonis generatim, ostendi potest, ad tria nos necessario teneri.

1. Restituenda esse aliena bona, quæ surrepta fuere, vel quæ retinentur injuste.

2. Æs alienum dissolvendum esse, neque retinendam esse mercedem eorum, quorum opera usi sumus.

3. Non exigendum aliquid ultra id, quod nobis debetur, quod accidit in fœnore.

VI. Aliena bona esse restituenda.

1. Justitia hanc præcipit restitutionem, ita ut nulla alia virtus huic supplere valeat officio. 2. Pœnitentia, quæ omnia delet peccata, hinc incipit, & hoc si desit, neque valida esse potest, neque sincera.

VII. Alienum æs dissolvendum esse; hæc est justitiæ obligatio, alienumque bonum, quod injuste retinetur. Tres autem hominum species huic desunt muneri; iisque persuadendum est, ut eodem perfungantur.

Primi illi sunt, qui se debere negant; si hoc improbe negant, quia nulla superest syngrapha, qua debitum probetur, nequissima est injustitia creditorem fraudare, qui bona fide mutuum dedit. Si putant se non debere; opus est seipsos hac in re diligentissime excutere, omniaque fingillatim ad examen revocare, ut facti veritas innotescat.

Secundi illi sunt, qui debitum quidem fatentur, sed qui solvendo non sunt; quo in casu docendi sunt, quid ipsis faciendum, ut & justitiæ, & conscientiæ suæ satisfaciant.

Tertii, qui debitum fatentur, & illud possunt dissolvere, sed procrastinando efficiunt, ut sui creditores elangueant; his gravissima, quam committunt, injustitia ostendenda est. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali. Sermone pro 21. post Pentecosten Dominica.*

VIII. De alienorum bonorum restitutione ostendi potest.

1. Inevitabilis male parta restituendi necessitas: necessitas præcepti, necessitas medii, necessitas medii unici, quæ, cum hæc restitutio fieri possit, aliunde suppleri non potest.

2. Necessitas concomitandi restitutionem hanc cum omnibus necessariis conditionibus ne inanis, & inutilis fiat; quia fieri debet illis, quibus aliquid ereptum est, vel damnum aliquod illatum; debet etiam quamprimum fieri, neque mors expectanda, ut testamento legetur.

3. Integra esse debet, non solum ex parte, quod faciunt illi, qui cogunt creditores suos, ut sibi debiti partem remittant, ne amittant totum. *De la Foni Tomo 4. Sermonum Ecclesiasticorum pro 22. post Pentecosten Dominica.*

IX. De eadem alienorum bonorum restituendi necessitate. 1. Nihil facilius, & vulgatius in mundi commercio, quam aliena habere bona, & alicui damnum inferre. 2. Nihil difficilius, quam aliena bona restituere, vel illatum damnum reparare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, in Quadragesima feria secunda majoris hebdomadæ.*

X. Hoc ipsum argumentum aliter efferri potest hoc pacto. 1. Moraliter impossibile esse, divites aliena non habere bona. 2. Moraliter impossibile esse illos hæc restituere propter summas, quæ ibi occurrunt difficultates. *Desumptum ex Sermonibus Abbatis de Breteville.*

XI. 1. Necessitas aliena bona restituendi. 2. Unde hęc necessitas proficiscatur. 3. Deplorabilis cum pro temporali, tum pro spirituali eorum statu, qui hoc munus non explent.

XII. 1. Impossibile est, absolute loquendo, aliquem salvum fieri posse, nisi male parta restituat, cum possit. 2. Impossibile est, moraliter loquendo, & quasi absolute, hominem terrenis inhærentem bonis facere restitutionem saluti suæ necessariam. *Biroat parte tertia cujusdam Sermonis in Adventu.*

XIII. Cum generatim constet restitutionis necessitas, duo peculiares errores impugnari possunt.

1. Alii nimis facile sibi persuadent se nullius injustitiæ coram proximo reos esse.

2. Alii agnoscunt damnum injuste illatum, at se ab eo reparando dispensant fictas prætexendo rationes, quibus amor proprius speciosum colorem tribuit. *Ex P. Cheminais.*

XIV. 1. Injuste quæsita restituenda sunt, & quæ rationes hoc inevitabiliter jubeant. 2. Quinam hanc facere debeant restitutionem; vel ad quos hæc restitutio pertineat. 3. Cui sit restituendum. *P. le Jeune Oratorii Presbyter.*